QUAESTIONES ANACREONTEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE
ATQUE CONSENSU

ALMAE LITERARUM ACADEMIAE FRIDERICO - ALEXANDRINAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FR. JACOBUS HOLLY,

NASSOVIUS.

MARBURGI.
TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXV.

Erlangen

Viro

Optimo humanissimo

Carissimo suo magistro linguae Latinae elementorum

Petro Sinder

Parocho Arzbachensi

Pio gratoque animo hunc libellum sacrum esse vult

scriptor.

Index

editionum, dissertationum ad Anacreonta carmina pertinentium aliorumque librorum, quibus uti licuit.

---

1. Anacreontica recensuit Fr. H. Bothe. Lips. 1805.
2. Commentationes tres de antiquit. carm. Anacr. cett. scrips. A. Fr. Wolper. Lips. 1825
3. Anacreontea quae dicuntur secundum Levesquii collationem codicis Palatini recensuit, cett. Dr. Fridericus Mehlhorn. Glogaviae 1825.
4. Observationes criticae in Anacreontem in Actis Soc. Rheno. Trai. fasc. I. 1826. Hofm. Peerkamp.
5. Anthologia lyrica ed. Mehlhorn. 1827.
6. Anacreontis reliquias carminum ed. Theod. Bergk. Lips. 1834.
7. F. G. Welcker et Naeke in Mus. Rhen. (1835. III. pag. 128–160 et pag. 260—314), quae repet. in »Kleine Schriften«, Bonn 1845. pag. 356—392 sub »Die Anakreonteen«.
8. H. Düntzer, »Ueber die muthmassliche Entstehung unsrer Sammlung der sogenannten Anakreontea« in »Zeitschr. für Alterthumswiss.« 1836. Nro. 94, 3. pag. 751–760.
9. Anacreontis quae feruntur odaria recens. Lindau. Alis. 1840.
10. G. H. C. Wiedemann, Quaestionis de antiqu. carm. Anacreonteorum pars. I in Progr. scholae ad aed. St. Annae. Petropoli 1843.
11. Quaestionum Anacreonticarum libros duos scripsit Carol. Bernh. Stark. Lips. 1846.
12. Theod. Linder, De Anacreontis quae feruntur carminum indole atque aetate. Dissert. Uspal. 1851.
13. Anacreontis Teii quae vocantur Συμποσιακὰ ἡμιάμβια cett. ed. a Valentino Rose. Lips. 1868, tert. ed. 1876.
14. Poet. Lyr. Graec. ed. Th. Bergk, tom. III. ed. IV. 1882.
15. Hist. Litt. Graec. — Th. Bergk. 1883.

16 Fr. Hanssen, Anacreonteorum sylloge Palatina recensetur et explicatur. Habilitationsschrift der Univ. Leipzig. 1884. 37 S. 8°. Recens. in »Philologische Rundschau«. 5. Jahrg. No. 15. ab. J. Sitzler.
17. Hist. Lyr. Graec. — Hans Flach. Tueb. 1884.
18. Gellius, ed. Hertz. 1883.
19. Lucianus. Εἰκόνες ab Imman. Bekker, tom. alt. 1853.
20. Hephaestion, scriptor. metr. ed. Westphal. 1866.
21. Westphal, Metrik. 2 Bd.
22. Christ, Metrik.
23. Anthologia Graec. ed. Duebner. vol. I. Paris 1864.

Quaestiones Anacreonteae.

Pars prima.

De origine Anacreonteorum carminum.

Cap. I.

Anacreontis quae circumferuntur nomine carmina primum Henrici Stephani cura anno 1554 in lucem prodierunt (Lutetiae). Quem virum doctum bene meritum esse de idylliis illis haud ignotum est viris eruditis. Etenim uni fonti excutiendo, e quo hausta sunt Anacreontea, summam operam tribuit, postquam eum in academia Lovaniensi a. 1554 invenit. Editio vero illa Stephaniana ingenio splendido digna est. Nam cum librarii odaria Anacreontea neglegentissime descripsissent, H. Stephanus multa non solum levia, sed etiam graviora ac reconditiora vitia bene correxit.

Quare libellus ille Stephani etiam mira acclamatione ac laudibus a plerisque Europae gentibus exceptus est et vix ulli Graecorum poëtae contigit, ut versus sui toties ederentur verterenturque, quoties illa carmina tantaque doctissimorum virorum studia excitarent, quanta Anacreontea.

Nihilominus, ex quo tempore Anacreontea primum in lucem missa sunt, de origine temporeve, quo nati essent versiculi illi haud raro lepidissimi, admodum virorum eruditorum fluctuabant sententiae.

Ac tribus annis post editionem Stephanianam Fr. Robortellus in libro de arte s. ratione corrigendi antiquos libros (pag. 26. ed. Patav. 1557) prorsus explosit illius operam et incuriam inscitiamque eius in libris manuscriptis tractandis vituperans et omnia illa odaria nihil ‚nisi insulsos quosdam posterioris aevi lusus' esse professus (cf. Mehlhorn proleg. pag. 1; Stark pag. 2; Welcker, Mus. Rhen. 1835. III. pag. 277).

Et Pauw quoque, qui ‚in singulis carminibus interpretandis externas maxime neque admodum graves causas ad auctoritatem carminum infringendam' attulit, Robortellum secutus omnem antiquitatis fidem eis derogavit (cf. ad haec et sequentia Mehlhorn, p. 1 sqq.; Welcker, Mus. Rhen. III. 277 sqq.; Stark p. 2 sqq.; Flach l. l. p. 550 cett.).

Hunc vero Fischerus (ed. II. 1776) praefatione alteri editioni addita hactenus secutus est, ut vix unum alterumve Anacreonteorum carminum Anacreonti auctori tribui posse contenderet.

Attamen apud nonnullos insequentes auctores tanta auctoritas huic syllogae nominique, quod ei inditum erat, tribuebatur, ut alii, inter quos Barnesius principem obtinet locum, aliquot ‚odarum venustate leporeque sententiarum capti nimis libere in texto mutando ad Ionicamque dialectum conformando' versarentur, alii, ut Baxter, vel maximas sententiarum metrique ineptias magna animi pertinacia defenderent atque totam istam Stephani editionis farraginem Teio vati adscriberent.

Nec vero ita Bentleius, vir vere criticus, qui ad Hor. II. 14. et Epist. ad Gaconium de idylliis nostris ita diiudicat: Multa quidem in aliis Anacreontis locis emendatione indigent: non pauca etiam sunt spuria, quae a genuinis dignoscere paucorum erit hominum.

Quod a viris doctis, ut ab Hemsterhusio, qui plane in Bentleii partes concessit, magis magisque probatum est, nisi quod Schneiderus (Annatt. ad Anacreontem. Lips. 1770, p. 56) mirum in modum de duobus Anacreontibus cogitavit, quia carmina nostra cum veterum testimoniis consciari non possent.

Sed de istiusmodi sententia vix dici potest, cum odis illis non duorum, sed plurimorum auctorum vestigia insint cumque artem diversissimorum hominum prodant.

Spaletti et Levesquii deinde opera codice iterum examinato carmina Anacreontea (Romae 1781—83) multo correctiora atque elegantiora in lucem prodierunt, ut postero tempore melius certiusque de origine eorum iudicari posset.

Nominandus tum Brunckius videtur, qui (1786 et 1817) magna eruditione elegantique iudicio usus duabus editionibus emendatiora quidem exhibuit illa idyllia, sed ‚abstinuit ab uberi quaestione de diversa eorum origine, nisi quod hic illic quaedam ex hoc genere tractavit, sed obiter tantum neque additis rationibus'. Universe vero Bentleii sententiam secutus est.

At Godofr. Hermannus, cuius egregia doctrina atque sagacitate animi artis metriae leges Anacreonteorum distinctius constituebantur (Epit. doctr. metr. ed. II. pag. 171), inter tria carminum Anacreonteorum genera paucissima Anacreontis esse censuit; pleraque multo recentiorum, quaedam etiam plane imperitorum hominum esse itaque in diiudicanda eorum origine primus distinctiora discrimina statuit.

Tanti vero viri sententia moti eandem de harum odarum origine opinionem professi sunt et A. Fr. Wolper (in Comment. de antiquit. carm. Anacr. pag. 6) et Hofm. Peerlkamp in Observationibus de 45 prioribus ex Stephani ordine odariis (insert. Nov. actis literariis societatis Rheno-Traiectinae fsc. I. pag. 121 sqq. ann. 1826).

Nec vero tanta gravitate horum omnium de illa re dissertationes sunt, quanta Friderici Mehlhornii editioni I (Glogaviae 1825) addita prolegomena (pag. 1—36). Haec enim abundant diligentia, ingenio, gravitate argumentorum; in quibus disputatum est de Palatina membrana, dialecto, metro, stropharum ratione, corruptione, prosodia, diverso ordine odarum Anacreontearum et ita quidem accurate sciteque, ut quae ex iis ad cognoscendam veram earum originem concluserit, non facile

negaveris. Nihilominus, quamvis ille vir doctus magnam doctrinam summamque industriam adhibuerit, ut aetatem cuiusve carminis quodammodo constitueret huic quaestioni non satisfactum est. Nam cum ille Hermanni magistri vestigia premens nonnulla quidem Anacreonteorum melioris notae esse putet (pag. l. 2), cetera diversissimae originis, tamen in tanta testium antiquorum inopia ad probabilitatem perduci nequire censet, num meliora ea ad Anacreontis aetatem adsurgant. Sperat, singularum vocum Graecarum si accurata historia exstiterit, quando omnino hac vel illa significatione usurpari coeptae sint, quaestionem illam absolutum iri. Eandem illam sententiam, e qua ea solum carmina, quae certe spuria sint, enumerat, ceterorum originem in dubio relinquit, Mehlhorn profitetur etiam in Annal. phil. et paed. (Lips. 1827, vol. III. pag. 241—44). Sed suo iure Welcker (l. l. pag. 281) dubitat, num ex historia vocum Graecarum accurate distincta, ut ait Mehlhorn, quidquam certi de origine Anacreonteorum concludi possit; multo potius indoles eorum et poëtica vis ad hanc quaestionem solvendam conferre queunt.

Novem deinde annis post editionem a Mehlhorn factam Theodorus Bergkius in prolegomenis ad edit. Anacreont. (Lips. 1834, pag. 4, 24, multis aliis locis) summa acerbitate in has odas invectus nullam omnium ad Anacreontis aetatem referendam esse dixit, sed omnes esse cantiunculas satis novicias. Quam sententiam magna eruditione defensam in omnibus deinceps editionibus Anacreonteorum retinuit (ed IV. pag. 296) et nonnullis de ea re dissertationibus (cf. huius diss. pag. 16) magis etiam probare studuit. Multas vicissitudines, — ita docet ille vir doctus, — haec collectanea subiisse carmina, diversis aetatibus composita et temporis decursu identidem immutata. Ab Alexandrinorum vero aetate primas illius sylloges odas esse profectas. Sed plura equidem paulo infra de Bergkii sententia proferam, ubi de ultima eius editione Anacreonteorum sermo erit.

Acerrimum autem huius opinionis adversarium invenit Bergkius F. G. Welckerum, cuius eximia totius antiquitatis cognitio

vereque ingenium poëticum permultum contulit ad internam Anacreonteorum naturam magis declarandam. Maxime ille vir eruditissimus (pgg. 356—92) operam dedit, ut ostenderet, nonnullas nostrae sylloges odas sine dubio esse Anacreontis auctoris, velut (3) 4, (17) 18, 24, (45) 47, (9) 10, (55) 56, ut numeros earum e Valentini Rose editione sumam. Alias eiusdem vatis esse conicit, cum satis dignae Anacreonte sint, ut (8) 9, 31, (30) 32, (32) 34, (44) 46. Ceteras autem esse diversae multoque serioris originis. Atque nisus duobus exemplis illis, quibus Anacreonteis certa nomina inscripta esse putat, (2 Basilii, (5) 6 Juliani), omnia subditicia carmina ad Juliani Justinianique tempora referri mavult, quam iis maiorem tribui antiquitatem (l. l. pag. 306 sqq.).

Paulo post Henr. Duentzer (l. l. pag. 751—760) plane in Bergkii partes concedens repetivit, nullam Anacreontearum odarum ad Anacreontis aetatem spectare, sed iis contineri Basilii syllogen supra memorati. Quam syllogen duas habuisse partes, quarum alteri, amores continenti, primum idyllium quasi prooemium praepositum esset, alteri Bacchum celebranti, oda 2. Sed huius viri sententiam Welckerus facile refutavit in annotationibus dissertationi (Kleine Schriften pag. 362) de Anacreonteis additis. Nam et summa diversitate singulorum inter se idylliorum et ex eo, quod inscriptio illa, ut paulo infra videbimus, ambiguae fidei est, satis apparet, illam Duentzeri opinionem non rectam esse.

Posteriore deinde tempore plurimi viri docti in quaestione de Anacreonteorum origine grassati ita consenserunt, ut pauca Anacreontea Anacreonti ipsi auctori tribuenda esse arbitrarentur. Quo in numero imprimis habendi sunt Theod. Linder, G. H. C. Wiedemann (l. l. p. 3 et 4), Car. Bernh. Stark (l. l. p. 90), alii. Ac Wiedemannus, Welckeri partes maxime secutus sex odaria Anacreontea Anacreontis esse putat (4 (3), 10 (9), 18 (17), 24, 47 (45), 56 (55). Contra Stark tria sola (p. 90) 4 (3). 34 (32). 47 (45) ad Anacreontis aetatem spectare censet.

Ea autem admixta esse imitationibus ex diversis temporibus repetundis. Atque earum imitationum auctores partem Anacreonteorum ex genuinis Anacreontis fragmentis composuisse, partem etiam Juliani Justinianique aetate conscripsisse; partem praeterea ad Anacreontis quidem idylliorum exempla compositam, sed iam neglegentiore metro uti, partem denique propter prosodiam immutatam nonnisi septimo et octavo post Christum n. saeculo adscribi posse aut, cum politicis versibus conscripta sit, ad nonum et decimum post Chr. n. saeculum pertinere videri. Quam de Anacreonteorum origine sententiam ille vir doctus ex doctissima et accuratissima disputatione hausit, quam de his idylliis Lipsiae 1846 foras dedit.

Quibus omnibus editionibus dissertationibusque, quas enumeravi, cum satis superque appareret, aut omnia illa, quibus Anacreontis nomen praescriptum est, idyllia esse spuria ut praeter Robortellum, Pavonem, Bergkium, Duentzerum etiam F. A. Wolf (*Vorles. über griech. Littrg.* pag. 222: »*Die leyermässige Art dieser Gedichte*« cett.), O. Müeller (Hist. Graec. Litt. I. 314), Bernhardy (Hist. Graec. Litt. II, 497: »*nichts weist in vorchristliche Zeit zurück; die Mehrzahl wenig vor Justinian entstanden*«) contenderunt — aut paucissima genuina, tamen ipso anno 1840 acerrimus Anacreonteorum propugnator exstitit Lindau, cuius ex sententia omnes fere nostrae sylloges odae Anacreontis ipsius sunt. In praefationis enim pag. 10, quam editioni suae addidit quamque graece scripsit, haec profitetur: *Ἃ μὲν φαῦλά ἐστιν ἔννοιαν καὶ ποιητοῦ ἀρχαίου παντάπασιν ἀνάξια, ἢ ὅσων τὰ μέτρια ἔοικεν εἶναι ἀνίατα, ἀθετήσαντες τὰ λοιπὰ ἐτολμήσαμεν ἀπὸ τῆς ὑποψίας ἐκείνης καὶ καταφρονήσεως ἀπολύειν καὶ πάλιν τίμια αὐτὰ ποιεῖν*. Nec vero equidem puto, illum virum eruditum id quod efficere voluit disputatione sua, ut omnia, praeter paucissima, odaria Anacreontis genuina itaque summa laude digna putarentur, assecutum esse. Etenim cum neque metricae artis rationem, qualis constituta est imprimis ab G. Hermanno, respexerit neque

vocum singularum formas secundum dialecti leges sub examen vocaverit, »sed nimio Anacreontis amore obcaecatus novum fere textum fecerit transponendo, mutando, coniciendo«, vix de eius sententia dici potest et sat erit eam hoc loco commemorasse.

Quare statim, ut Colincampii de hac quaestione dissertationem (De Anacreontis quae circumferuntur carminibus) quae nil fere novi ad eam attulit, omittam, Valentini Rose prolegomena ad originem nostrorum odariorum pertinentia in medium profero, quae ille vir doctus editioni Lipsiae 1868 primum, tertium 1876, codice Palatino tertium excusso collatoque, in lucem missae praeposuit. Qui vir doctus non dubitat (pag. 9. 10), quin nonnulla Anacreonteorum nostrorum vetera sint, i. e. ea, quae neque ad imitatorum illud, quod ostendat codex Barberinus Christianorum genus saec. nono florens neque ad auctores Sophronii (saec. VII) aequales poëtasque Gazaeos pertineant, sed Gregorium Nazianzenum et Synesium antecedant et saeculum quartum; num autem ex his veterioribus unum quoddam ad Anacreontem auctorem referendum sit, plane ignoratum iri. Ignorare praeterea se dicit ille vir doctus, num eiusdem Anacreontis aut omnia aut plurima revera fuerint, quae sub eo nomine ab Alexandrinis accepta et quinque libris edita a grammaticis postea oratoribusque et sophistis citentur; hoc unum pro certo statuit, eadem fuisse Anacreontis carmina nonnulla et in collectione Alexandrina et in eclogis Byzantinis cum Anthologia editis; his autem ab editore mixta fuisse carmina ex seriore aetate repetunda.

Anno deinde 1882, ut praetermittam ‚Luigi A. Michelangeli Anacreonte, edizione critica, Bologna 1882' (cf. J. Sitzler, in Philol. Wochenschr. 1882. No. 26) et eiusdem viri docti ‚Ad Anacreontis quae feruntur *Συμποσιακὰ Ἡμίαμβια* emendationes, Bologna 1882', qui libri minus ad quaestionem nostram pertinent, in III tom. editionis IV Lyr. poet. Graec. (pag. 296 sqq.) Bergkius eandem de origine nostrorum carminum opinionem atque antea professus est eamque ita decidit, ut hac sylloge duas diversas eclogas contineri contendat. Alteram earum eamque antiquiorem

carmina hemiambis inclusa comprehendere. Haec esse breviuscula neque leporis expertia et vincere alterius sylloges odaria dimetris ionicis conscripta amplioraque atque fucato colore insignia. Quas duas syllogas postea esse coniunctas admodumque noviciis cantilenis auctas; accessisse denique Byzantinorum hominum sedulitatem, qui utroque versuum genere usi cantilenas ineptas plerumque et semibarbaras addidissent. Quam sententiam Bergkius uberius declaravit multisque optimis argumentis fulsit (pag. 348—358) disputatione, quae de ea re in Hist. Litt. Graec. proxime edito (1883 tom. II) libro legitur.

Nuperrime etiam Fr. Hanssenius doctissimam disputationem de ordine Anacreonteorum, quae codice Palatino continentur, foras dedit. Sed de huius viri docti sententia paulo infra uberius dicendum erit. Hoc loco denique H. Flachii disputationem (Hist. Lyr. Graec. 550—557) de nostris Anacreonteis proferam, qua ille vir eruditus Bergkium maxime secutus Anacreonteis Anacreontis aetatem plane derogat.

His de virorum eruditorum sententiis, quae ad Anacreonteorum idylliorum pertinent originem, praemissis, mihi nunc ipsi videndum est, utrum plura an pauca eorum Anacreonti ipsi tribuenda sint, an omnia imitatoribus. Quod ita instituam, ut ab antiquorum auctorum testimoniis profectus primum internis, externis deinde argumentis sententiam mihi de hac quaestione fingere ausim. Altera vero huius disputatiunculae parte de singulis odis nostrae sylloges earumque variis formis aut depravationibus dicam.

Cap. II.

Atque inquirenti in originem tempusve, quo nata sint Anacreontea nostra, ante omnia *veterum scriptorum testimonia* adeunda videntur. Sed plane offensioni est, quod quotiescunque apud veteres auctores Anacreontis nomen occurrit, perpaucis locis versus e nostris Anacreonteis afferuntur. Quo in numero

primum locum obtinet Gellii N. A. XIX, 9, ubi odarium quartum legimus. Gellius enim hoc loco ita: ‚Ac postea — sermo est de die natali adulescentuli in Asia nati, ad quem celebrandum magistros aliosque amicos, Latinos Graecosque, ille invitaverat et quo canebantur — *Ἀνακρεόντεια* pleraque et Sapphica et poetarum quoque recentium *ἐλεγεῖα* quaedam erotica, dulcia ac venusta. Oblectati autem sumus praeter alia versiculis lepidissimis Anacreontis senis' (ed. Hertzii). Sequitur haec verba oda 4. Alter locus invenitur apud Hephaestionem (30), quo dicit de dimetro catal. iamb. Utitur vero verbis: *καταληκτικὰ δὲ δίμετρα μὲν, ὡς τὸ καλούμενον Ἀνακρεόντειον* et deinde e carmine 47 sylloges nostrae duos versus affert:

Ὁ μὲν θέλων μάχεσθαι
Πάρεστι γάρ, μαχέσθω.

Quem sequitur scholiasta eius (167) et Plotius (270). Praeterea eosdem versus ‚*Ἀνακρέοντος*' scholiasta ad Aristoph. Plut. 302 commemorat.

Quorum locorum primo luculentissime apparet, e Gelli sententia odam 4 genuinam Anacreontis esse. Num vero Gellii illa sententia recta sit, paulo infra videbimus.

Hephaestionis vero ille locus non pro certo comprobare potest, duos illos versiculos esse Anacreontis (cf. Mehlhorn 13, Bergk, ad Anacr. 54, Duentzer l. l. 755, Flach 554). Nam etsi illud metri genus, dico dimetros catal. iamb., apud veteriores lyricos singulis versibus legitur, tamen nemo eorum carmina continuatis iis versiculis pepigit. (Bergk, ad. Anacr. 54, Flach 553 sqq.). Huiusmodi enim odas primus Herodas iambographus conscripsit, de cuius aetate viri docti dubitant, quem vero post bellum Peloponnesiacum vixisse constat (Bergk l. l. 54, Stark 39, Flach 553). A quo posteri poetae et imprimis Alexandrini illud metrum mutuati videntur. Ea igitur de causa et quod inter tot Anacreontis fragmenta — sunt ea paene 200 — ne unum quidem occurrit, quod isto metro utatur, verisimillimum est, versiculos illos Hephaestionis non esse Anacreontis auctoris. Accedit, quod ne ipso Hephaestio quidem

eos versiculos Anacreontis genuinos fortasse putabat; nam cum nusquam aliter utatur verbis *τὸ καλούμενον Ἀνακρεόντειον* aliquid genuini Teii vatis proferens, sed dicat aut *παρὰ τῷ Ἀνακρέοντι* aut *Ἀνακρέων συνέθηκεν* (Mehlhorn 13), Hephaestioni sine dubio fere tantummodo *τὸ καλούμενον Ἀνακρεόντειον* hic ipse dimeter iambicus catal. erat. (Bergk, ad Anacr. 54; Mehlhorn 13; Duentzer 755; Flach 538 et 554). Quin Flachius arbitratur (554), versum, de quo sermo est, ab ipsis Anacreonteis nomen suum accepisse, id quod equidem valde dubito. Sed Welckerus (Mus. Rhen. III. 273) et Stark (24) iniuria mihi affirmasse videntur, et eos versus esse Anacreontis genuinos et Hephaestionem loco dicto ita locutum esse, ac si putasset, vere istos esse Teio vati adscribendos. Idem vero, quod de hoc Hephaestionis loco dictum est, valet etiam de scholiasta eius, Plotio, scholiasta ad Aristophan. Plut., qui omnes eosdem illos versus attulerunt.

Cap. III.

Tanta igitur veterum testium inopia facile suspicio diversae Anacreonteorum originis atque fragmentorum Anacreontis, ad quae tot scriptores spectaverunt, moveri potest. Interna vero sylloges nostrae condicio hoc etiam magis probat. Ac primum, ut *genera poeseos* et fragmentorum et Anacreonteorum inter se conferamus, Anacreontem *hymnos* pepigisse et frgg. 1. 2 et Hephaestio (125) testes sunt. Illis vero non di, sed pueri celebrantur; sunt qui vocantur *σκολιοί*, qui inter epulas canebantur. (Bergk, Hist. g. l. 342, Flach 539; cf. etiam schol. Pind. Isthm. II, 1). — Inter Anacreontea nullus hymnus invenitur.

Anacreontis frgg. 18. 21. 68. 86. 87. 90 *ἰάμβους* nobis proferunt, quibus aut in amatos, qui poeta repudiato diligant alios, aut in eos invehitur, qui pecuniam ipsius amatas amatosve sibi reconciliarint. — Istiusmodi carmina sylloge nostra non continet.

Ex elegiis, quae Anacreonti ab Hephaestione (12) adscribuntur quibusque epigrammata imprimis contineri optimo iure contendit Welcker (Mus. Rhen. III, 142), una servata est (frg. 69). In Anacreonteis nulla elegia occurrit.

Restat, ut de *μέλεσι*, quae vocantur, pauca addam, huc enim referenda est maxima Anacreonteorum pars. Atque in Anacreontis fragmentis id poeseos genus in duas partes dividitur: Altera enim in amore eiusque deliciis atque cruciatibus versatur, altera in sociorum comissationibus, Dionysii dona praedicans. Priori parti adscribenda sunt fragmenta 3. 4. 5. 13 A. 17. 23. 25. 30. 39. 42. 43. 44. 45. 47. 49. 56. 60. 65. 71. 77. 79. 80. 89. 93. 107. 108; alteri 6 (7). 13 B. 11. 37. 40. 52. 53. 61. 62. (Numeris utor editionis IV a Bergkio factae).

Anacreonteorum priori fragmentorum parti respondent odaria 4. 6 (5). 10 (9). 11 (10). 13 (12). 14 (13). 16 (14). 18 (17). 22. 23. 24. 25. 26. 27 (26b). 28 (27). 29 (27b). 30 (28). 31 (29). 33 (31). 36. 37 (35). 43 (41), alteri omnia, quae nondum nominata sunt. Sed quantum discriminis intercedat in his et Anacreontis paroeniis et in illis, quae a grammaticis saepe vocibus ‚*ἐρωτικὸν ᾠδάριον*' inscribuntur, et Anacreontis, paulo infra videbimus.

Cap. IV.

Quibus *metris* deinde quaque compositione Anacreon in carminibus pangendis uteretur, Theod. Bergkius (ad Anacr. p. l.) luculentissime explicuit; eum secutus Starkius quoque (23—27) de ea re bene meritus est (cf. etiam Bergk hist. g. l. 346; Westphal, metr. II, 492 cett.). Quare meum solum est, cum nova de Anacreonteorum metris conferendis proferre nequeam, breviter metra ab Anacreonte usurpata recensere, ut melius quasi ‚uno intuitu' rationem eius metricam amplectamur amplexique comparemus cum Anacreonteis.

Ac primum Anacreon fragmenta 84. 85. 87. 88 trimetris iambicis catalecticis, fragmenta 89. 90. 91 dimetris acatalecticis conscripsit; fragmentum 92, dimetris catalecticis compositum, me

non genuinum Anacreontis putare, iam antea dixi (Bergk, ad id frg. ed. IV; Flach 538 adn. 4).

Inter trochaica metra tetrameter acat. legitur in frgg. 75 (79). 76 (80). 77 (81). 78 (82). 86, catalecticus in frg. 80.

Versus logaoedici occurrunt in frgg. 1. 2. 3. 4. 6 (7). 8. 14 (15). 15. 16 cett. (cf. etiam h. d. pg. 20—21). Dactylica metra rara sunt, ut in 67 (66) et 68 (78) tetrameter catalecticus reperitur; huc etiam referenda videntur 70 (74) et 71 (75) frgg.

Choriamborum exempla sunt frgg. 19. 20. 24. 25. 28. 29. 31. 32. 36 (34). 37 (35), alia (cf. praeterea h. d. pg. 20—21).

Jonici versus ad Anacreontem vere poëtam Jonicum maxime pertinent. Nec vero saepe puris ionicis carmina a poeta Teio composita sunt; immo crebrius ionicos versus ita mutavit, ut anaclasi uteretur (Heph. 70). Ac tetrametri acat. ionici leguntur in frgg. 41 (39). 42 (40). 43 (41). 44 (42). 45 (43). 44; in his puri ionici cum anaclomenis coniunguntur. Tetrametris catalecticis, ut cum Hephaestione loquar (68), Anacreon tota carmina composuit, quorum reliquiae exstant in frgg. 47 (45) et 48. Trimetri acatalectici, quorum plerique puri ionici sunt, leguntur in frgg. 51 (49). 52 (50). 54 (53). 50 (48). 53 (52). Catalectici trimetri occurrunt in frg. 55 (54), dimetri acatalectici in frgg. 61 (60. 62 (61). 63 (62). 64 (63). 65 (64).

Haec praecipua metri genera sunt in Anacreontis fragmentis usurpata; plura fragmenta adeo mutilata sunt, ut quo metro composita sint, vix decreveris.

Anacreontem igitur magna metrorum varietate usum esse his disputatis intelleximus; Anacreonteorum metra vero perpauca sunt. Quae cum primum Hermanni egregia opera ac doctrina optime distincta essent, etiam Mehlhornius (12—18) bene de iis meritus est. Quorum e sententiis quinque metrorum genera in carminibus, quae Anacreontis nomine circumferuntur, inesse videntur.

1. Ac primum quidem dimetri iambici catal. saepe in iis occurrunt; hi vero ita inter se differunt, ut legem metricam,

qua spondeus neque altero nec tertio loco admittitur, aut universe observent aut spondeum illum ponant. In priore numero idyllia 1. 4. 7 (6). 6. 8. 9 (8). 10 (9). 11 (10). 12 (11). 13 (12). 14 (13). 15 (14). 21. 22. 23. 24. 25. 26. 35 (33). 39 (37) habenda sunt, in altero odae 36 (34). 49 (47). 45 (43). 56 (55). 58 (57). 60 (59). In odariis nonnullis inter dimetros iamb. pherecratei quoque inveniuntur.

2. Dimetri i o n i c i a m i n. sine anaclasi in omnibus deinceps versibus unius carminis 19 reperiuntur; sed omnes totius carminis primi ionici breves syllabae contractae sunt (*Αἱ Μοῦσαι δήσασαι κτλ.*); 20 versus logaoedicos continet.

Plures odae occurrunt, in quibus puri ioni a min. anaclomenis misceantur, ut 38 (36). 42 (40). 43 (41). 44 (42). 46 (44). 52 (50). 59 (58). 16 (15).

Multo saepius vero fit, ut dimetri ionici a min. anaclasin habeant, ut in carm. 17 (16). 18 (17). 31 (29). 32 (30). 33 (31). 37 (35). 48 (46). Praeterea etiam carmina 2. 3. 16 (15). 28 (27). 29 (27b). 30 (28). 34 (32). 50 (48). 53 (51). 55 (53). 57 (56). 60 (59) universe hoc metro recte utuntur.

3. Unius idyllii Anacreonteorum metrum plane ab Anacreontis abhorret. Glyconei enim, quibus pherecratei admixti sunt, apud Anacreontem quoque (frgg. 1. 2. 3. 4. 6 (7). 8 (15). 14) reperiuntur; sed hoc in carmine, 51 (49), pherecratei primum occurrunt, dum ii paulatim in metrum iambicum deflectant. Schema enim eius odae hoc est:

′ ⏑ ⏑ ′ ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – – – ⏑
– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

4. Praecedentia metra cum universe artis metricae veterum legibus respondeant, nunc iam in odaria incidimus, quae magna

ignorantia atque neglegentia conscripta sunt. Vis enim accentus, quae iam tempore, quo libertas civitatum Graecorum labefactabatur, valde praepollebat, in dies aucta est, cum linguae Graecae usus latius vulgabatur; primum vocales *α*, *ι*, *υ*, ut lubebat, aut productae aut correptae sunt; tum vero nil aliud curabatur, quam ut octonae syllabae versum efficerent et plerumque accentus in paenultima poneretur; hoc factum est in 40 (38) et 41 (39).

5. Odarii 5 denique versus 1—10 byzantinis septemsyllabis, ut ita dicam, qui pessime compositi sunt, quantitate prosodiaque plane neglecta conscriptum est. A 10—19 versus politici occurrunt.

Haec igitur pauca metra Anacreonteorum poetae in usum suum receperunt, quorum soli dimetri iamb. catal. et ionici ad Anacreontis metra spectant. Quin dimetri illi valde suspecti sunt, cum sine dubio fere continuatis dimetris Anacreon nullas odas composuerit (cf. h. d. paulo supra).

Rationem deinde et compositionem, quae poeta Teius in carminibus fingendis usus sit, sane est dolendum, reliquiis perpaucis satis dilucidam non fieri. Nihilo secius ex iis cognosci potest, eum non modo carmina ‚*κατὰ στίχον*', verum etiam ‚*κατὰ σύστημα*' et epodica, ut ita dicam, composuisse: Nonnulla enim odaria iisdem continuatis versibus decurrunt, alia vero magna compositionis arte confecta sunt ita, ut et nonnulli diversi versiculi inter se coniungantur et strophae efficiantur. Sic exempli gratia carmina 1. 2. 3, versibus logaoedicis conscripta ita composita sunt, ut binis aut quaternis glyconeis singuli pherecratei succedant, frgg. 4. 6 (7). 8 (15) 14, ut ternos glyconeos singuli pherecratei sequantur. (Heph. 70; Westphal, metr. II, 770). Fragmentum 87 trimetros catalecticos iamb. et dactylicam penthemimeren, 88 praeter trimetros iamb. tripodiam trochaicam quoque habet. Frgg. 28 et 29 dimetris choriambicis et pherecrateo I, frg. 30 (27) glyconeo I et ithyphallico confecta sunt, et aliis quoque locis huiusmodi compositiones occurrunt.

Qua ex re elucet, Anacreontem in compositione carminum et veteriores poetas Aeolicos et imprimis Archilochum esse imi-

tatum, praeterea autem etiam cum recentioribus, qui carmina *κατὰ στίχον* composuerunt, poetis lyricis ei nonnulla esse communia. Medium enim locum obtinet inter horum et illorum carminum compositionem.

In Anacreonteis nil de arte illa carminum componendorum invenitur et hoc imprimis vestigium serioris eorum originis atque Anacreontis carminum habendum est, quod sylloge eorum sola carmina continet, quae iisdem deinceps versibus decurrunt.

Cap. V.

His disputatis cum Anacreontis fragmenta et argumentis et metro compositioneque multo latius Anacreonteis patere viderimus, nunc quantum discriminis in *poetica natura*, ut his vocibus utar, Teii vatis fragmentorum et eorum carminum insit, quae circumferuntur eius nomine, investigandum est.

Atque ut omittam epitheta, quibus Anacreontem scriptores exornant, quibus vero plurimorum odariorum poetae Anacreonteorum indigni habendi sunt, ut *σοφός* (Athenaeus XV, 687), *ἥδιστος* (id. XIII, 600 D), *μελιχρός* (id. XV, 671) lepidissimis versibus senis Anacreontis oblectati sumus (Gellius, N. A. XIX, 9) dulces qui composuit cantilenas (Terent. Maurus 1246), omnia fragmentorum argumenta non longius petita, sed e quotidiana vita sumpta videntur. Lepore sunt magno ac mira simplicitate. Et orationi et sententiis admirabilis inest lenitas, comitas, dulcedo, ut in fragmentis ipsis, si Horatii verbis uti licet, disiecta membra poetae cognoscere possis. Non insignia quidem sunt eius carmina summo illo ardore animi, summa illa vi sententiarum verborumque, qua Alcaei et Sapphus; non tam vehemens et purus est eius amor, non tam honesta nobilisque eius indoles et vita quam illorum. Immo multo mollior est vates noster admodumque aberravit ab gravitate summaque honestate atque vitae integritate veteriorum illorum poetarum. Fuit enim poeta noster per totam fere vitam in hominum propinquitate (Polycratis, Hippiae), qui id imprimis agebant, ut vita bene

commodeque uterentur: Horum moribus utitur etiam Anacreon, horum dux atque fruendi legumlator paene est. Attamen semper modum quendam vitae voluptatum non transiit eaque de causa usque ad senectutem magna animi hilaritate erat (frgg. 25. 43). Cui vitae dulci ac venustae respondent carmina eius: Remotus ab omni gravitate atque nimio ingenio poetico Anacreon imprimis Veneris aut Amoris delicias cruciatusve canit aut Bacchi dona praedicat itaque carmina eius magis hilaritate et simplicitate delectant quam compositionis arte et sententiarum magnificentia (cf. Bergk, h. gr. l. 340 sqq.; Flach 540 sqq.; Wiedemann 2, 3; Stark 27).

Concinit cum hac simplicitate argumentorum, sententiarum, verborum Teii poetae ratio syntactica. Metrum eius nominatur ab Horatio (Epod. 14, 12) ‚non elaboratum ad pedem', id quod non solum ad metrum eius attinet: Levis atque elegans coniunctio atque conformatio enuntiatorum, non nimis elaborata, nobis demonstrat, non tam arte consilioque quam interno quodam sensu poetico Anacreontem carmina sua pepigisse (cf. frgg. II 7. 9. 10; IV 2; VIII 1; XIV 5. 8; XVII 1; XXIIX; LVII 1 cett.).

Auctores vero Anacreonteorum universe argumenta latius repetunt neque satis ad vera vitae fata respiciunt. Certa loca sive certae personae frustra paene quaeruntur, ea quae optima vestigia Anacreontis poeseos habenda sunt. Ubi vero ad tempus aliquod respicitur, hoc semper ad seriorem aetatem spectat (cf. h. d. alt. p.). Ars pingendi, encaustica, toreutica, gloria scholarum rhetorum praedicatur et magis arte imaginibusque magnificis quam simplici venustate delectare student illi poetulae. Plura exempla doctrinae atque scientiae quam veri poetici ingenii occurrunt, id quod imprimis exempla permulta e mythologia sumpta vocabulaque inusitata ostendunt (3. 4. 5. 17. 18 cett.). Ac voces illae (3, 2) ‚λυρικὴ Μοῦσα', Παφίη pro Venere (17, 37. 20, 7), Τιτάν pro Sole (46, 7) longe ab Anacreontis aetate aberraverunt, pariter ac personificatio pulchritudinis (19, 3) admodum abhorret ab eius temporibus. (Bergk, h. g. litt. l. l.).

Praeterea etiam compositio ac ratio faciendorum enuntiatorum haud raro offendit; (nimia multitudo asyndetorum, cuius sola fere odaria 12 (11). 24. 37 (33). 54 (52). 59 (58) expertia sunt, in interrogationibus γάρ obvenit 4. 13 (12). 15 (13). 38; forma ‚ἀπὸ κοινοῦ' invenitur in 24. 15,22. 25,5; articulus »pro lubitu« ad verba apponitur: 3. 25. 28. 33. 38 cett.).

Eadem vero diversitas, quam universe in Anacreontis fragmentis et Anacreonteis esse vidimus, etiam in singulis carminibus animadverti potest. Ac carmina amatoria Anacreontis unicuique legenti ex veris vitae fatis profecta esse videntur. Nam poëta et pueros et puellas in vita sua urebat (cf. Anth. Pal. VII 25 et VII 31. Maximus Tyrius 27,2. Horatius epod. 14,9). Inter pueros praecipue nominantur Bathyllus, Megistes, Smerdies Thrax, Cleobulus. Atque Megistae mentio facta est in frg. 41 (39), Smerdiae in frg. 5 (6) et 49 (47), Cleobuli in frg. 2. Bathylli nomen nusquam occurrit, consulto id celavisse videtur vates (Bergk. h. g. l. 344). Quod vero Flachius (533 sqq.) affirmat, Anacreontem non vere illos pueros amasse, sed Polycratis causa eos celebrasse, hoc non solum multis, ut supra vidimus, veterum testimoniis repugnat, sed etiam fragmentorum argumentis ipsis ad eos pueros pertinentibus, quae magnum amoris ardorem spirant. Ex puellis imprimis Euryple ab Anacreonte amabatur (Anth. Pal. VII, 31 et VII, 27); haec frg. 21 (19) memoratur. Ex omnibus denique, quae a veteribus scriptoribus de eo poeta traduntur, satis elucet, eum saepe amore, spe, invidia, dolore commotum fuisse eundemque in fragmentis reperimus (2. 3. 4. 5 (6). 13 A. 21 (19). 33 (30). 45 (42). 51 (49). 69 (73) cett.). Nam omnia argumenta, omnes imagines excitatum vatis ingenium produnt, omnia redolent Jonum vigorem ac flagrantem animum, nil ficti aut excogitati, nil docti aut inusitati invenitur. Universe autem vis quaedam virilis iis carminibus inest (Bergk, h. l. gr. 351), ut etiam poeta a nimia lascivia abhorret (fg. 120 (134).

Aliter vero in Anacreonteis: Bathyllus quidem, quem Anacreontem amasse supra vidimus, appellatur in carminibus 4. 10 (9). 17 (16). 15 (14); sed hic Bathyllus non idem atque

Anacreontis est; immo sola imago aut umbra eius videtur. Praeterea tot pueri amati occurrunt (5 37 (35). 38 (36). 42 (40). 43 (41). 50 (48), vix ut unum alterumve a poeta vere amatum verisimile sit, sed ut omnia haec ficta videantur. Dilectae puellae certum nomen nobis nusquam obvenit; unius mentio fit frg. 16 (15); universe de mulieribus sermo est frgg. 7 (6). 9 (8). 12 (11). 22. 24. 37 (35) cett., ut etiam ex his concludi nequeat, num unum exemplum aut alterum ad verum vitae fatum recurrat.

Sic fit, ut tota fere ista poesis amatoria excogitata, ficta videatur. Praeterea ea carmina valde de decora illa Anacreontis fragmentorum forma recedunt. Nam etsi haec fragmenta multo lasciviora argumenta quam idyllia Alcaei aut Sapphus tractant, tamen nusquam tanta petulans lascivia soli turpi cupidini indulgere studens in iis reperitur, quanta in nostra sylloge (cf. frgg. 2. 3 (3). 13 A. (11). 14 (15). 41 (39). 49 (47) cum Anacreontis 4. 16 (15). 17 (16). 19. 25. 30 (28). 31 (29). 33 (31). 35 (33). 120. Quin ipse Amor, qualis in idyllio 13 (12) fingitur, paene a poeta ludibrio haberi videtur. Universe Anacreontis carmina vera ἐρωτικά dici queunt, Anacreontea vero illa magis nomine συμποσιακῶν digna sunt, quae in conviviis canebantur et quibus pueri amabiles et puellae interesse solebant.

Παροίνια, quae vocantur, perpauca in Anacreontis fragmentis inveniuntur. Quare etiam difficile, quibus rebus ab Anacreontis differant, decreveris. Iubet enim vates pueros sibi aquam, vinum, flores apportare frgg. 42 (40). 62 (63); ex oda 63 (62) autem apparet, vatem Teium abhorrere ab immoderata cupiditate bibendi, cum, ne Scythicum clamorem tollant, sodales moneat; potius inter pocula pulchra carmina esse canenda putat. Eandem moderationem produnt frgm. 8 (8) et 6 (7). In frg. 11 (14) celebratur ‚Διόνυσος ἐρίβρομος‘, iam cottabus instituitur in frg. 53 (52). Martem bella amare, probat frg. 70 (74); odit omnes, qui sunt tristi animo ac difficiles reconciliatu, frg. 74 (78). Se senem esse mortisque haud immemorem dicit poeta in frgg. 62 (61). 76 (80), frg. 43 (41) nobis senem Anacreontem ostendit

horrentem Tartarum, unde redire nefas sit; 50 (48) designat mortem finem laborum.

Plane alia condicio Anacreonteorum paroeniorum; nam magna eorum varietas, magna ars hic conspicitur, quae admodum ab Anacreontis simplicitate discedit. Modo enim comissationes eaeque res, quae ad eas pertinent, describuntur 4. 5. 38 (36). 43 (41). 44 (42). 48 (46). 49 (47). 55 (53). 56 (55). 59 (58), modo animi ad bibendum excitantur aut causae afferuntur, cur potare liceat 2. 8 (9). 12 (11). 21. 32 (30). 36 (34). 40 (38). 38 (36). 45 (43). 52 (50). Sed nimia ex his carminibus bibendi cupido elucet, nimius furor Bacchius, nimis quaesitae causae, cur poëta bibat, videntur. Praeterea etiam Anacreon senex prorsus alius est atque senes poëtae Anacreonteorum. Nam ille ululat Orcum adspiciens mortemque nisi quod labores mundi finiat, non timet; hi vero aut mortem non curant aut eius memoria ad maiorem hilaritatem excitantur [32 (30). 45 (43). 52 (50)]. Qua de causa Anacreontis ratio illa sentiendi fruendique ex pectore intimo senescentis viri profecta multoque honestior videtur, quam poëtarum Anacreonteorum, qui cum ne senescente aetate quidem bibere ac furere desinant, similes sunt levium adulescentium inter epulas poculaque insanientium.

Cap. VI.

Sed iam ad *dialectum* accedamus, qua Anacreontis fragmenta quaque Anacreontea conscripta sunt. Atque Anacreontem ionica dialecto carmina composuisse non solum tota antiquitas inde ab Aristophane (Thesmophori. vv. 161—163) ad Suidam clamat (Antip. Sidon. Anth. Pal. VII, 27., Polluc. Onomast. III, 98. Max. Tyrius 27, 3. Dio Chrys. Or. II. T. 1, 35), sed etiam eo verisimile est, quod ille vates Tei, in urbe ionica, natus et in ionicis urbibus aliis (Sami, Abderae, Athenis) versatus esse narratur. Cum vero maxima inter eos scriptores, qui ionica dialecto scripserunt, varietas scribendi sit, quae aut

ex domicilio aut ex aetate auctoris, aut ex operis genere proficiscebatur, viri docti hanc dialectum in quatuor partes diviserunt (Bergk ad An. pag. 64. Stark pag. 15. 16), quarum alia urbes in Caria terra sitae, altera Lydiae, tertia Chii Erythraeique, quarta denique Samii usi esse dicuntur ab Herodoto I. 142. Altera illa parte etiam Teos urbs, Anacreontis patria, continetur, et dialecto, quae domi in usu erat, eum scripsisse probabile est. Sed quae singula huius speciei ionicae dialecti vestigia sint, cum Bergkius (ad A. pag. 64 sqq.) et Schneidewinus (Diar. litterar. antiquit. III 2. N. 24. pag. 185 sqq.) et Starkius (l. l. pag. 16 sqq.) satis superque disseruerint, equidem supersedere operae eius legum enumerandarum mihi videor, modo illuc benignum lectorem delegem. Anacreontem autem universe pura ionica dialecto usum esse neque ponendum in numero eorum seriorum poëtarum, qui dialecto ionicae doricis passim formis modeste immixtis maiorem sonum conciliare studerent, doricam autem ionicis formis illatis emollire (Jacobs in praef. ad Anth. Pal. I. pag. 40 sqq.), Mehlhorn (l. l. pag. 9 sqq.) probabile fecit. Si vero vates ille noster hic illic formam, quae aut ad communem Graecae linguae usum aut pertineat ad dorismum admisit, hoc non impedit, quominus fragmentis Anacreontis fundamento utamur, quo critica Anacreonteorum disquisitio nitatur, id unum iam supra memoratum pro certo statuentes Anacreontem universe ionicam dialectum puram in usu habuisse.

Sed plane altera condicio Anacreonteorum est, quorum dialectorum confusionem, tam inconcinne grassantem ubique, uberius tractare huius loci est. Ac primum carmina enumeranda videntur, quae pura ionica dialecto conscripta sunt; hoc in numero etiam ea habeo, quae atticas formas quidem admittunt, sed eas, quae etiam in Anacreontis fragmentis occurrunt (datt. plur. in *αις* et *οις* exeuntes sive in *σι*(*ν*), contraction. apud verb. pur. contr. cett.). Haec sunt autem: 1. 4 (in versu 3 scribo cum veterrimis Gellii codicibus ‚*πανοπλίας*' pro ‚*πανοπλίαν*') 6—33. Carmen 11 (10) quoque huc referendum est; nam doricae

formae in eo repertae a puero dorico (ὁ δ' εἶπε δωριάζων) proferuntur; praeterea etiam 34 (32). 45 (43). 47 (45). 48 (46). 54 (53). 56 (55) universe Jonicis formis conspicua sunt.

Carmen 49 (47) deinde plane dorica dialecto compositum est (Bergk, Hist. l. G. p. 350). Ceterae odae nullam dialectum meram praebent: Aut attica-dorica, aut ionica-dorica conscripta sunt, quamquam in singulis odariis haec aut alia dialectus praevalet, ut dorica in 35 (33). 36 (34). 39 (37). 38 (36). 43 (41). 51 (49), aliis.

Addendum hoc loco videtur, ea, quae disputavi de Anacreonteorum dialecto, non in omnibus carminibus plane certa absolutaque haberi posse, cum editores eorum haud paucis locis scriptura inter se dissentiant. Sed id puto ad liquidum perductum, magnam confusionem dialectorum in Anacreonteis occurrere magnamque differentiam ea de causa inter haec Anacreontisque fragmenta esse statuendam.

His disputatis cum apparuerit, Anacreontea carmina generibus poeseos, metris et compositione, poetica natura, dialecto admodum universe differre ab Anacreontis fragmentis, inde concludendum est, ea non omnia ad unum eundemque auctorem esse referenda. Ex differentia vero magna inter ipsa Anacreontea reperta elucet, diversis temporibus ea esse nata. Quod ad dialectum variam ipsam attinet, praeter diversos odarum auctores librariorumque neglegentiam, qua multas voces corruptas esse ex versibus bis in Anthologiae archetypo, cuius fatis Anacreontea nostra coniunctissima sunt, exhibitis sed perraro eadem dialecto usis cognosci potest, etiam hoc Jacobsii non neglegendum arbitror: Postquam unum quodque genus poeseos patriae, ubi natum et educatum fuerat, finibus egressum peregrinari et cum ceteris populis communicari coepit, cum dialecti iam non in ore hominum vigerent, sed in putidis chartis delitescerent, usu venire coeperit, ut poetae diversis in scribendo dialectis uterentur cett. (Mehlhorn 9).

Cap. VII.

Nec vero internis solum causis cognoscitur, Anacreontea spectare ad varios auctores. Etiam externae causae inveniuntur, quae hoc probent. Ac primum quidem in Anthologia Planudea odarium 6 (5) nomine *Ἰουλιανοῦ* insignitum est, cui additur ab Aldo (Ven. 1503) ‚*ἀπὸ ὑπάρχων Αἰγυπτίου*'. Quod nomen Val. Rose Planudis errore huic odae additum esse contendit (ed. III, 7 annot.). Nec vero Bergkius in huius viri docti partes concedit, quod argumentis non sat gravibus vel fallacibus usus sit (cf. etiam Mehlhorn 48, Stark 36). Ita vero Val. Rose: Verum tamen inter plurima quae Juliani Aegyptii (saec. VI in) citantur epigrammata parum verisimile est hanc unam cantilenam Anacreonticam et certo quidem huius auctoris nomine inscriptam attulisse Agathiam, qui unus potuit: nec Cephalam enim neque eius in cod. Pal. editorem qui Anacreontis carminibus Anthologiam auxit, nedum ipsum Planudem ‚veterum' horum (sic enim appellat index codicis Barberiniani) Anacreonteorum alium praeter Anacreontem auctorem novisse patet . . . Julianum igitur Anacreonteorum poetam ipsius puto Planudis errori deberi aliunde oculis aberrantis. Sed suo iure Bergkius (Append. Anacr. ed. IV. vet. Lyr. Graec. pag. 341, annot. †) putat illud ‚*ἀρχαῖοι ἄλλοι*', quo Valentinus Rose in eum errorem inductus sit, esse mutandum in ‚*ἀρχὴ ἄλλη*' — novum quid insequenti pagina codicis Barberini affertur —, ut de Planudis errore hoc loco dici nequeat. Quare titulo ‚*Ἰουλιανοῦ*' a librario odarium 6 (5) alii atque Anacreonti tributum esse arbitramur; quod vero in codicis margine ad odam 2 ‚*τοῦ αὐτοῦ βασιλικόν*' appositum est, Val. Rose suo iure contendit, iis vocibus nomen poetae non esse significatum (ed. III, 2 annot.). Hoc iam Stephanus intellexit, qui in apographo titulum eum omisit; etiam Bergkius (ed. IV, 297) universe illam de hoc titulo opinionem profitetur.

Praeterea primi statim odarii auctor dicit, se Anacreontem imitari in animo habere et qui 20 composuit, se Anacreontis Sapphus, Pindari genera carminum suo odario mixturum esse,

id quod Bacchum et Venerem delectet. Et ex eo quoque, quod alia ex aliis poematiis conscripta sunt, luculentissime apparet, Anacreontea esse variae originis. Ac ne is quidem, qui syllogen nostram fecit, Constantinus Cephalas, ea collectione sola Anacreontis odaria contineri voluit putari. Nam eo quod carmen 1, cuius poeta ipse se Anacreontis imitatorem appellat, toti syllogae praeposuit, sine dubio ostendere voluit, collectionis suae cantiunculas non omnes esse Teii vatis.

Cap. VIII.

His omnibus et internis et externis argumentis allatis manifestum est, Anacreonteorum, quae nunc exstat, collectionem, non unius, sed plurium poetarum esse et ab Anacreontis fragmentis alienam. Sed quaeritur nunc, nonne fortasse unum alterumve poematium ad Anacreontem auctorem referendum sit, id quod plures viros doctos contendere supra vidimus.

Ad quam quaestionem solvendam ante omnia videndum erit, quomodo Anacreontis carmina propagata sint. Atque Anacreontem carmina sua literis tradidisse verisimillimum est. Nam cum Polycratis familiaris esset, qui vir aeque ac Pisistratidae primus bibliothecas condidit librosque Homeri atque aliorum poetarum colligendos curavit (Himerius Orat. 33, 3; Bergk ad Anacr. 139; Welcker, Mus. Rhen. III, 129—130; Nitzsch, de hist. Hom. I, 102), certe etiam sua carmina collegit. Ac cantilenae eius primum in omnium ore erant et imprimis in conviviis canebantur (Bergk, h. l. g. 347). Si vero Athenaeus (XIII, 600 D) contendit, eas etiam suo tempore vulgares fuisse, hoc Bergkius (347) suo iure negat; nam ea aetate soli viri eruditissimi aut grammatici eas noverant.

Alexandrini vero critici, cum flore ipso literarum Graecarum evanescente e magna scriptorum copia praeclarissimos eligerent et lyricorum numoro electorum etiam Anacreontem tribuerent (Anth. Pal. IX, 184 et IX, 521) primi Teii vatis odaria in quinque libros distribuisse videntur, qui a Crinagora (Anth. Pal. IX,

239) citantur. Nec vero omnia, quae illis syllogis Alexandrinis continebantur, odaria Anacreontis genuina fuisse probabile est. Cum ea enim non tam legerentur, quam dicerentur canerenturque in comissationibus festivis (Gellius N. A. XIX, 9) facile fieri potuit, ut alius quis nova odaria argumento solo similia Anacreontis proferret atque caneret, alter easdem sententias atque genuini poetae novis vocibus ac modulis exornaret, alius denique unum alterumve genuinum versum, quem memoria tenebat, retineret, novos vero adderet. Quo sensim accidit, ut eadem aetate multa eiusdem generis odaria in ore canentium versarentur, quae omnia ad Anacreontem referenda esse putabantur. In dies autem hanc mutationem aut depravationem genuini idyllii crevisse, quo magis recedebatur ab Anacreontis aetate, consentaneum est. Quare suo iure Val. Rose contendit, in syllogis Alexandrinis iam fuisse spuria idyllia (ed. III, 10); nec mirum, Gellium odam, quam N. A. XIX, 9 commemorat, falso Anacreontis genuinam putasse. Nam Gellii aetate quin numerus Anacreonteorum, ut imitationes genuinorum idylliorum ita appellem, permagnus fuerit, non dubium fere habendum est.

Odarium vero illud Gellii non ad poetam Teium esse referendum, etiam argumentis et compositione eius odae ipsius cognoscitur. Nam in Anacreontis fragmentis nil artis toreuticae invenitur sicut in oda 4, nullum fragmentum, quo puer amatus ita celebratur, ut cum Baccho et Amore artifex eum in poculo insculpere iubeatur. Tale enim argumentum frustra non modo in Anacreontis sed etiam in ceterorum veterum lyricorum poematiis quaesiveris. Accedit, quod oda 4 dimetris catal. iambicis composita est, quo metro verisimillimum est, Anacreontem non usum esse. Quin iam eo, quod legitur ea oda in hac collectione inter tot diversorum auctorum, tam diversae aetatis idyllia, suspicio alterius atque Teii poetae auctoris movetur.

Cum vero odam 4 errore Gellii Teio vati tributum esse conicimus, etiam quaestio soluta videtur, num fortasse unum alterumve odarium Anacreonteorum ad Anacreontem auctorem referendum sit. Cum enim ii viri docti, qui id contendant, im-

primis ad odarium 4 spectent et Gellii illa sententia, qua eam odam Anacreonti attribuit, commoti alia quoque poematia ad eum auctorem referant, ex eo, quod spurium istud putamus, etiam cetera subditicia esse elucet.

Restat igitur, ut inquiramus, quo saeculo et quomodo Anacreontea illa orta sint. Ac nomina auctorum eorum tanta veterum testium inopia non fieri potest, ut eruantur. Nam quod de ea re dici potest, iam supra prolatum est; quod vero ad tempus attinet, quo nata sint odaria nostrae sylloges, sine dubio ad diversam aetatem ea esse referenda disputatiuncula nostra iam apparuit.

Ac Bergkius, ut vidimus, duas syllogas Anacreonteorum exstitisse putat, quae a C. Cephala una cum Byzantinis cantilenis aliisque etiam recentioribus descriptae essent (Hist. G. l. II, 357). Priorem harum syllogarum esse initio temporis imperatorum Romanorum exortam eaque contineri idyllia hemiambis inclusa; alteram esse recentiorem et carmina eius ionicis composita. Hunc virum doctum Flachius (554) plane secutus est. Ac revera nonnulla argumenta proferri queunt, quibus illa coniectura comprobari videatur. Etenim Gellii ille locus, quo oda 4 memoratur et quo dicitur de *ἐλεγείοις*, quae canebantur, et iis odaria Romanorum lyrica opponuntur, ad collectionem quandam carminum spectat. Praeterea ille scriptor Romanus opinionem qua putat ‚Anacreontis s e n i s' esse odam 4, cum nullum omnino vestigium eius aetatis in oda ipsa insit, e ceteris odis cum ea coniunctis maximeque de senectute agentibus aut ex annotatione huiusmodi ad eas apposita hausisse videtur. Nec tamen mea sententia ea de causa concludendum est, eam syllogen, qua Gellius usus est, postea a C. Cephala esse descriptam et ea sola carmina hemiambis inclusa contineri. Nam quod Bergkius putat, librarii voces »*Ἀνακρέοντος τοῦ Τηΐου συμποσιακὰ ἡμιάμβια καὶ Ἀ ν α κ ρ ε ό ν τ ι α*« iam ad duas huiusmodi syllogas spectare, illam coniecturam plane comprobare nequit. Satis enim non liquet, num vox ‚*Ἀνακρεόντια*' hoc loco ita, ut vult Bergkius, usurpata sit, cum eodem vocabulo a Gellio (l. l.)

Anacreontis genuina odaria et ab Hephaestione (29) sine dubio (*οἷα τὰ Ἀνακρεόντεια ὅλα ἄσματα γέγραπται*) genus poeseos aut auctor ipse significentur. Praeterea Hanssenius (l. l. pag. 2 adn.) nobis promisit, se in editionis apparatu critico probaturum esse, *,ἡμιάμβια'* vocem esse glossema, quo eluceret totum illum locum esse corruptum. Immo hoc unum pro certo affirmari potest, veterrimas Anacreonteorum cantilenas iam aliquanto ante Gellii aetatem esse natas; et revera nonnulla vestigia in iis reperta manifestum in modum primi aut post aut ante Ch. n. saeculi commonefaciunt. Quod enim Corinthus dicitur esse provinciae Achaiae (14, 10—12), quod Roma omnia amplexa esse narratur (14, 22, Bergkius: *οὐ τῆς ἅπαντ' ἐχούσης — Ῥώμης*), quod Parthi, Bactri, Indi appellantur (14, 23—25), plane de initio aetatis Romanorum imperatorum aut fine rei publicae liberae Romanae admonet (cf. Catulli carm. 11, quo simillime atque nostro loco huiusmodi gentes enumerantur). Et artificium quoque toreuticum, quod oda 4 describitur, spectat ad idem tempus, quo Romanos admodum illa arte imbutos fuisse constat. Quae vero quotve illae odae veterioris aetatis fuerint praeter Gellii idyllium, paulo infra videbimus.

Praeterea nescio an paucorum aliorum quoque idylliorum aetas accuratius distingui possit. Nam cantilenae 16 et 17 luculentissime ad praescripta se applicant, quae a Luciano (*Εἰκόνες*, c. 7 et 8) pictoribus dantur. Imitandos enim ille dicit esse Polygnotum, Euphranorem, Apellem, Aetionem, quorum unusquisque singularem virtutem in depingenda aliqua corporis parte habuerit, ut Polygnotus in capillo, Euphranor in superciliis et genis et veste, Apelles in ceteris membris, in labris pingendis Aetion. Quis hoc legens et cum odio 16 et 17 conferens, in quibus omnia fere corporis membra aut puellae amatae aut dilecti pueri hoc vel illo modo pingere artifex iubetur, non statim intellegit, has odas argutias illas rhetoricas prae se ferre? (cf. etiam Bergk, poet. l. gr., ed. IV, 306). Etenim ea praecipue corporis membra, quae a Luciano nominantur, etiam his poematiis occurrunt (cf. 16, 6—8. 12. 22. 29—33 et 17, 3. 10. 19—20. 22 cett.).

Accedit, quod ea primum aetate de certis pulchritudinibus unius alteriusve statuae dici potest, ut Mercurii manuum dexteritate, Pollucis femorum vigore, Bacchi alvei mollitie insignis erat. (Otfr. Mueller, archaeol. 553—568). Carm. 17, 31—33 vero artifici imperatur, ut ‚*δυδύμας τε χεῖρας Ἑρμοῦ — Πολυδεύκεος δὲ μηρούς — Διονυσίην τε νηδύν*' Bathyllo fingat. Neglegendum quoque non videtur, quod metri quandam depravationem, dico, quod in anaclomeno interdum duae primi pedis syllabae correptae in unam longam producuntur, ita, ut totus versus speciem hemiambi accipiat, et apud Lucianum et in his idylliis invenimus. Versus enim 4. 6. 10. 11. 13. 14. 15. 17. 20. 22. 24 Luciani tragodopodagrae ita, ut dixi, compositi sunt sicut etiam nostrae sylloges odae 17 v. 19. 35. 45, 18b, 15. Praeterea pariter atque per nostras cantilenas etiam per tragodopodagram puri ionici sparsi sunt (2. 5. 9), ut eadem et tragodopodagrae et eorum idylliorum metri ratio atque compositio sit. Quare me non errare puto, si conicio, has cantilenas esse poetarum aut Luciani aetatis aut paulo posterioris. Utrum vero haec odaria separata, sicut putat Bergkius, sylloge inclusa fuerint necne, nemo contendere potest.

Postquam igitur tempus originis carminum meliorum et hemiambis et anaclomenis compositorum, quoad fieri potuit, constituere quaesivimus, nunc singulae odae enumerandae sunt, quae ad id tempus spectant. Qua in re optime adiuvamur acuta disputatione Hanssenii, qua conclusit ille vir doctus, nonnullis odis se excipientibus proprietates argumenti aut orationis metrive ita communes esse, ut differant a ceteris, et anthologistam in his odis ordinandis regulam quandam esse secutum. Qua ex ratione totam nostram syllogen in partes tres dividit; ac prima continetur idylliis 1. 4. 6—21, — oda 2 a Byzantinis quasi prooemium paroeniorum carminum interpositum est et cum ea oda 3 in codice cohaeret, 5 misera imitatio 4 est —, altera 22—35, tertia 36 — ad finem. Ac duodecim illa odaria 1. 4. 6—15 Hanssenio antiquissima totius sylloges videntur; hemiambis sunt composita utunturque ionica dialecto. Saepe ea de Anacreonte

ipso loquuntur et unum Amorem noverunt, qui adulescentulus fingitur; omnia Romanae aetati adscribuntur. Sequuntur haec carmina in codice tria anaclomenis conscripta et duo metris insolitis insignia (20. 21), quae cum primis duodecim odis anthologista ex antiquiore sylloge in suam collectionem redegit; 16—21 Hadriani tempori Hanssenius attribuit.

Leguntur deinde in codice odaria 22—35, quorum prima pars meris hemiambis, puris anaclomenis altera composita est. Haec nil de Anacreonte ipso dicunt, nil de dilecto puero Bathyllo; noverunt multos Amores et ubicunque de uno Erote loquuntur, non fingitur adulescentulus, sed puer parvus. Proprium praeterea eorum carminum est, quod adamant animalium et rerum naturalium proprietates cumulare. Quare Hanssenius ea uni poetae tribuit et aetati Romanae ineunti. Cetera idyllia, 36 ad finem, serioris esse originis putat et ab anthologista quasi spicas undique collecta.

Universe igitur de origine meliorum nostrae sylloges odariorum cum Hanssenio consentio, neque dubito, quin in numero hemiamborum, quae primo aut ante aut post Chr. n. saeculo nata esse supra conieci, habenda sint 1. 4. 6—15. 22—28, eadem igitur, quae prima et altera parte supra dicta continentur.

Quae vero Luciani aetate composita esse contendi, sunt 16. 17. 18. 19. 20. Quamquam cum Hanssenio arbitrato, ea cum duodecim primis odis coniuncta una collectione fuisse, non consentio. Nam cum Gellius odam 4 sine dubio ex hac prima collectione sumserit et odae 16. 17. 18. 19. 20 eodem, quo Gellius erat, saeculo e sententia nostra natae sint, fieri non potest, ut illae iam in ea prima sylloge exstiterint. Insuper cogitari bene nequit, Gellium carmina suo saeculo nata — putat enim totam syllogen esse Anacreontis — Teii vatis arbitrari. Quod etiam tum verisimile fere non esset, si cum Hanssenio ea poematia Hadriani aetati tribueremus. Quare equidem puto, anthologistam illa quinque carmina aliter inventa ad duodecim hemiambica traiecisse.

Carmina 28—35 cum Hanssonio aetati Romanae tribuo et hoc quoque eum rectissime eruisse iudico, idyllia 22—35 ab anthologista coniuncta esse inventa nostraeque collectioni inserta. Num vero ea omnia, ut putat ille vir doctus, unius et eiusdem poetae sint, difficile affirmari potest; vix enim credi potest, cum ea carmina in sylloge tot diversorum auctorum odarum sint. Immo similitudines, quas iis inesse vidimus, anthologistam moverunt, ut coniungeret eas odas.

Quod vero H. Flachius (l. l. 551) ea potissimum causa dubitat, num Hanssenii illis sententiis adstipuletur, quod carmen 47, e quo Hephaestion duos versus citaverit, non in numero meliorum odariorum sit, hoc auctoritatem harum sententiarum infringere nequit. Nam dubium fere non est, quin poeta eius idyllii duos illos versus ex Hephaestionis libro sumpserit suoque carmini inseruerit.

Quae reliqua sunt carmina, certe serioris aetatis sunt, quam ea, de quibus iam sermo erat. Ac melioris notae 35. 37. 39. 47. 51. 53. 55. 56. 57 sunt. Byzantinae odae sunt 2. 3. 5. 37. 38. 42. 43. 44. 45. 54. 59. 60.

Recentissimae aetatis sunt 40. 41. 46. 48. 49. 50. 58; in his enim prosodia quantitasque plane neglectae sunt.

Pars altera.

De vicissitudinibus, quas subierunt Anacreontea carmina.

Quomodo corruptio odaria, quae in comissationibus festivis memoriter canuntur quaeque propter leporem dulcedinemque libentissime audiuntur, invadere soleat, iam supra ostendi. Nam quo quid saepius in usu est, eo magis etiam usurpantium manus experitur: Alter enim memoriae lapsu, consulto alter aliquid mutat sive addens sive adimens, vix ut primarii poëtae carmen agnosci queat. Quod quamquam in Anacreonteis per se

non est mirandum, tamen ea lectitanti mihi tam variae, tam multiplices tamque manifestae mutationes occurrerunt, ut in animum induxerim, nonnullas earum uberius tractare.

Cap. I.

Ac primum carmen 4 ea mente aggrediar. Vulcanum enim poeta eius iubet non arma ipsi parare, sed poculum profundum; quod exornet non astris quidem caelandis, sed vindemia effingenda, in qua diversae personae ludant. Venustas eius carminis augetur, modo meminerimus, ad Σ 486 sine dubio auctorem spectasse. Sicut enim Vulcanus ‚πανοπλίας' Achilli fabricatur, ita nunc poculum fabricari iubetur. Optime autem intellexerat auctor nostri poematii, quid epicae quidque lyricae poesi tribuendum esset: Homerus enim summa diligentia ac latitudine scutum describit versaturque diutissime in pingendis rebus, quae in eo sunt; nostro vero poëtae perpauca lineamenta sufficiunt ad poculum describendum praedicandumque vinum et amorem; cui rei maximam vim inesse poetam voluisse, paulo infra demonstrabitur.

Commode vero accidit, ut oda 4 non modo in codice servata sit, sed etiam legatur in Anthologia Graeca et apud Gellium, de quo iam supra diximus. Tanta autem codex, Anthologia, Gellius sermonis varietate sunt, vix ut unius et eiusdem vatis hae odae esse videantur.

Cui odario enarrando primariaeque formae investigandae non est mirum omnes editores summam operam tribuisse; sed alii aliter de nativa oda sentiunt. Et Bergkius quidem (ed. IV, 299) genuinam formam esse arbitratur, quam Anthologia praebeat (cf. etiam Flach, 554). Mehlhornius vero (p. 22) Gellii quidem cantilenam nativam putat, sed nonnullos eius versus esse eiciendos, antequam principalis forma restituatur. E Valentini Rose et Starkii sententia verus odari textus ‚idem fere' qui Gellii est. Eandem eam opinionem de carmine omnes habeant necesse est, qui id Anacreonti tribuant auctori (Welcker, Wiedemann cett.).

Quorum posteriorum in partes concedo equidem prorsus statimque plura argumenta proferam, quae me ad hanc opinionem deduxerunt. Etenim Valentinus Rose propter angustias loci (annot. ed. III, 5) paucissima enarrare potuit.

Atque initium faciam a Gellii codicisque odis conferendis: Tredecim primi versus et vicesimus codicis iidem fere sunt atque Gellii, nisi quod Gellius in v. 1 *τορεύσας*, *τορεύων* codex, in v. 6 Gell. *βάθυνον*, *βάθυνας* cd., in v. 7 G. *κατ' αὐτὸ*, *κατ' αὐτοῦ* cd., in v. 11 G. *τί δ' ἀστέρος Βόωτεω*, *τί γὰρ καλοῦ Βοώτεω* cd. praebet. Sed haec minoris ponderis sunt, quamquam equidem Gellii *τορεύσας*, *βάθυνον*, *κατ' αὐτὸ* multo melius quadrare ad versuum sententiam arbitror, quam codicis *τορεύων*, *βάθυνας*, *κατ' αὐτοῦ* (cf. eiusdem odae vers. 13, ubi ‚*κατ' αὐτῶν*' recte legitur, quia de uvis de vite pendentibus sermo est). Quae ea de causa codici quoque praeferenda videntur, quod etiam Anthologia in iis vocibus cum Gellio consentit. Magis certe praestantia Gellii odae ex vv. 16. 17. 18. 19. 21 codicis elucet. Nam inde a versu 16 eius odarium plane in deteriorem partem se vertit auctorque eius in omne fere peccatorum genus incidit. Bis enim eadem argumenta proferuntur et singulae voces interpositis parvis intervallis ineleganter repetuntur (v. 18 *Ἔρωτας* — *Ἔρωτα* v. 21; 18 *Κυθήρην* — *κ' Ἀφροδίτην* 21; 17 *γελῶντας* — *γελῶσαν* 19). Quod vero Hanssenius putat, eundem poetam vv. 18—20 vix eodem tempore scripsisse, perversitas etiam orationis et metri, de quibus infra sermo erit, satis nobis demonstrat, illum poetam huiusmodi sententiae ineptias non effugisse (cf. Hanssen, l. l. p. 13).

Perquam enim inepte ad nonnullas personas articulus appositus est, velut v. 18 ‚*τοὺς Ἔρωτας*', v. 17 ‚*τοὺς σατύρους*'; neque enim Amorum neque satyrorum numerus definitus est veluti Gratiarum aut Musarum, quarum numerus notus et ad quas articulum ita apponi non vetitum est. Hoc vero ipsum poetarum seriorum et infimae notae est, qui sine discrimine articulum modo ponunt modo non ponunt (Jacobs ad Anth. Pal. XIII, 68 et carm. 3. 25. 28. 33. 36 (34). 38 (36) cett.).

Nec minus perverse quam sententia oratioque metrum horum versuum est compositum. Puris elegantibusque hemiambis versus 1—16 et 21, quos universe cum Gellio consentire supra dixi, decurrunt neque ulla artis metricae lex in his est laesa. Aliter vero in versibus 16—20, quorum schema hoc est:

V. 16. ⏒́ ⏑ ⏑ ⏒́ ⏑ ⏒́ ⏑
V. 17. – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
V. 18. – – – – ⏑ – ⏑
V. 19. – ⏑ – – ⏑ – ⏑

Sed sunt hi versus Byzantini septemsyllabi, ut ita dicam, qui neglecta quantitate male compositi sunt; similiter solum odarium 51 (49) compositum invenimus, quod sine dubio serioris aetatis est.

Quodsi igitur codicis oda multo Gellii poematio deterior invenitur, idem dicendum videtur de collatis inter se Anthologiae et codicis cantilenis. Anthologiae enim tenuis oda undecim versus continet, quo fit, ut omnes codicis pravi versiculi hic non legantur. Omissi vero Gellii quoque nonnulli versus sunt 4. 10. 11 et in locum 12—16 versuum substituti hi tres:

Ἀλλ' ἀμπέλους χλοώσας
Καὶ βότρυας γελῶντας
Συν τῷ καλῷ Λυαίῳ,

ut valde Anthologiae odae sententia ab odario Gellii dissentiat. Sed bono consilio ac ratione omnes mutationes et omissiones adhibitae sunt ac totum idyllium prodit manum sollertis neque inelegantis auctoris; hoc denique poematium sententia, metro, orationeque melius quam codicis iudicandum videtur.

Restat, ut Gellii odae argumenta, sententias uberius tractem tractataque cum ceteris odis conferam. Lepido eius sensu, absoluto metro, oratione sine ullo mendo composita statim capimur. Fac mihi, iubet poëta, artifex, poculum insculpens praeter vites, uvas, Maenades racemos in torculari calcantes, Bacchum, Amorem praesertim meum Bathyllum. Minus igitur id idyllium paroenium quam eroticum dici potest, quod etiam nomen Bathylli summum gravissimumque argumentum in fine positum nos docet. Quam

digne igitur poeta Anacreontearum odarum haec cantilena est facta! Similiter etiam in carminum 10 et 11 fine Bathylli nomen reperitur, per quae pariter atque per 4 laudes eius pueri sparguntur.

Tale igitur argumentum certe Anacreontis odarum indole perdignum est. Accedit, ut quas Gellii carmen hominum figuras sive deorum in poculo insculptas vult, perbene quadrent ad eiusmodi artificium. Quis enim negabit, tres illas personas ultimis versibus celebratas, dico Bacchum, Amorem, Batyllum, quos more Gratiarum inter se iunctos et in summo poculo positos cogitemus, aptissimas ad ornandum poculum esse? Ceterae vero imagines, quae nominantur, paulo infra has personas in poculo insculptae esse possunt. Facile autem cogitatu est, poëtae eius odae oculis crateram obversatam esse quam describit neque quisquam infitiari potest, poculum ita, ut dixi, caelatum perpulchrum esse.

Quibus disputatis elucet, Gellii odae magnam tribui laudem quire, qua codicis carmen plane indignum sit. Nam illud poematium non solum peccatis supra memoratis sed etiam eo illepidum fit, quod tot tam variasque personas enumerat, ut plane non cognoscatur, quid praecipue laudibus efferatur. Neque enim Amor neque Bacchus usquam positione aut argumentorum gravitate excellit, ac ne Venus quidem. Nam quamquam eius nomen in fine est, tamen etiam in versu 19 occurrit itaque gravitas eius positionis admodum minuitur. Dilucidum denique non est, cui poeta praecipuam laudem attribuere voluerit; contra magna confusio undique in oculos incurrit.

Quapropter quaestio primariae originis solum inter Gellii et Anthologiae odaria solvenda est. Ac poematium Anthologiae cum sine ullo aut formae aut metri aut sententiae mendo confectum sit, non deterius quam Gellii diiudicandum est. Huc accedit, ut universe idyllia prioris originis simplici oratione utantur multoque minora sint quam seriorum aetatum. Nihilominus odarium Anthologiae propter exiguitatem suam solam, ut Bergkius et Flachius volunt (352), equidem non antiquius

puto quam Gellii. Nam etsi hoc perpaucis versiculis illo maius est, tamen omnibus rebus aeque absolutum atque illud videtur neque iis versiculis, quibus Anthologiae carmen superat, ineptiae continentur, sed argumenta satis Anacreonte digna (cf. vv. 4, 10, 11, 12—16). Occurrunt praeterea maxime tenues cantilenae, quae sine dubio e maioribus derivatae sunt, ut 3 e 16. Quod Gellius vero odam 4 Anacreontis genuinam putat, satis dilucide nobis illam cantilenam primariam significare videtur. Etenim nullum antiquitatis vestigium habemus, quo appareat, iam prima aut ante aut post Chr. n. saeculo, quo illa oda nata est, tales imitationes esse factas. Nam omnes cantilenae, quas ex Anacreonteis aliis derivatas constat, serioris aetatis sunt (cf. 16, 17, 3; 4, codicis et Gellii form. 5; 48 et 49 cett.). Gellii oda insuper ionica dialecto utitur, attica Anthologiae; equidem vero de duobus odariis, quorum alterum ex altero derivatum est, iudicium laturus ei maiorem antiquitatem tribuo, quod ionica, i. e. Anacreontis, dialecto utitur, nisi quod gravia argumenta aliter nos docent. Quod de Anthologiae odario dici nequit. Quamobrem cum omnibus praeter Bergkium, Flachium viris doctis, qui de Anacreonteis scripserunt, Gellii odam genuinam esse contendo. Cur auctor Anthologiae carminis quisve hoc fecerit, pro certo dici nequit; sin consideres, alios eius versus integros e maiore textu electos, alios ita mutatos esse, ut nil iis describatur, nisi poculum aut si quid ad bibendum attineat, facile cogitaveris, auctorem eius repudiantem argumentum Gellii odae Bathyllum celebrantis ex odario erotico paroenium ad decantandum inter epulas confecisse. Eiusmodi vero mutationes perfacile fieri potuisse supra ostendi.

Quibus disputatis apparet, me Hanssenii sententiam non sequi, qua (l. l. p. 14) putat, tres illas odas esse derivatas ex eodem carmine antiquiore nunc deperdito. Neque enim est, quod Gellii odam satis, ut vidimus, lepidam esse posse primariam negemus. Quamquam hoc libenter ei viro docto concedo, Anthologiae idyllii auctori, cum plurimos versus e Gellio mutuatus sit, poculum et forma et ornamentis a Gellii distans obversatum esse.

Codicis odae altera pars (1—16 et 20) insipienter ab aetatis serioris poetula descripta, altera inepte amplificata est. Imitatus est sane ille Gellii cantilenam, non Anthologiae. Praeterea vero etiam partem semibarbarorum versuum 15—20 ex oda 43 mutuatus esse videtur. Nam eius versus 12—15:

Ὁ δ᾽ Ἔρως ὁ χρυσοχαίτης
Μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου
Μετὰ τῆς καλῆς Κυθήρης

tam manifeste ultimorum codicis odae versuum commonefaciunt, vix ut eos alio e fonte fluxisse verisimile sit.

Duas igitur genuini idyllii 4 mutationes invenimus; nec vero in iis acquiescere licet; novam insuper versificator stultus addidit carmen 5 pangens, de cuius metro atque aetate supra dixi. Haec enim oda prava oratione sententiaque interdum usa (vv. 1, 4—6. 13 cett.) idem argumentum, quod odarium 4, tractat. Nam odae quoque 5 auctor repudians cruentas fabulas, quae alienae sunt a potatione atque hilaritate, poculum ab artifice fieri vult, in quo insculpantur Bacchus (v. 11), Venus (12), Amores (14), Gratiae (15), uvae, alia. Sententiae praeterea eodem paene ordine observato procedunt. Etenim primum de universo poculo locutus transit iste poëta ad ea, quae non caelanda sint, dum imagines in poculo insculpandas enumeret. Arctissime denique eum praecedentis poematii poetae vestigia premere etiam ex eo elucet, quod permultae voces eadem mente usurpatae atque coniunctae ex 4 in 5 odarium receptae sunt, ut τόρευσον (1), ἀργύρεον (5), ποίει μοι (6), τορεύσῃς (8), Ἔρωτας (14), γελῶσας (15), ἄμπελον (16), εὐβότρυον (17). Cum vero Ἔρωτας quoque artifex fabricari iubeatur, cumque una ex tribus supra memoratis odis codicis hoc vocabulum exhibeat, manifestum est, poëtam cantilenae 5 codicis longiorem formam imitatum esse. Eiusdem rei praeterea testes sunt tot tamque variae personae, quas enumerat oda 5 quasque item solum codicis idyllium exhibet.

Quare, ut conclusionem breviter disputatiunculae nostrae faciamus, oda Gellii genuina tres imitationes experta est et ita quidem, ut alius poëta eam in brevius idyllium paroenium mutaret,

alius immutatam paululum orationem ineptis versiculis amplificaret, alius denique hanc iam variatam formam ad novum odarium fingendum sibi eligeret.

Cap. II.

Sed iam transeamus ad alteras odas, quas breviter tractare in animum induxi, 16. 17. 3. Quam ad aetatem spectent odae 16 et 17, iam pag. 34 exposui. Insignes enim sunt fucato colore discrepantque a multis eiusdem sylloges cantilenis, quae breviusculae ac tenui sermone confectae sunt, versibus multis et accuratissima descriptione omnium fere corporis membrorum aut amatae puellae aut dilecti pueri Bathylli ita, ut imago desiderata secundum picturam ipsam iam confectam expressa videatur. Sed carmen 16 si quis cum 17 contulerit, statim reperiet, nonnulla huic cum illo esse communia. Atque sexto decimo quidem poeta puellam suam lepido sermone celebrat et pictorem pingere iubet crines eius molles, nigros, murram redolentes (6. 7), frontem candidam (12), supercilia haud mixta sed leviter coniuncta, (13. 14. 15), cilia curvata, oculos igneos, glauco lumine madidoque ardentes (17—21), nares atque genas lacteas, rosae colore mixtas (22. 23), labra ad osculandum vocantia, sub pulchro mento Gratias ludentes in collo (26—29), vestem purpuream, e qua ipsum corpus eniteat. Postremo vero puellam ipsam poeta quasi videt eaque de causa pictorem porro pingere vetat. Haud absimili modo auctor odae 17 puerum suum Bathyllum laudibus effert describens eum a capillo ad pedes. Dolet, quod tergum artifex non pingere possit, sed mercedem ei pollicetur, quamcunque velit. Iam videt Apollinis imaginem, e qua ut fiat Bathylli imago, optat. Apparet igitur, magnam similitudinem in his cantilenis inesse eodem ordine progredientibus multisque in sententiis concinentibus (16, 2. 5. 7 et 17, 1. 2; 16, 6-9 et 17, 3—6; 16, 16. 17 et 17, 8—11; 16, 22. 23 et 17, 12. 13 cett.). Hoc uno oda 17 a 16 discrepat, quod etiam inferiores pueri corporis partes describuntur itaque longe a castitate et simplicitate odae 16 aberratur.

Permultae deinde voces in utroque odario leguntur ut γράφε (16,2—17,1), ἑταίρην (16,5 — ἑταῖρον 17,2), μελαίνας (16,7—17,4), ἁπαλάς (16,7—17,8), σύνοφρυν (ὀφρύς 17,16), Κυθήρης (16,21 — 17,15), ῥόδα (16,23 — ῥοδινήν 17,18), Πειθοῦς (16,24—17,24), ὁδὲ κηρὸς cett. (16,4—17,25), ἐλεφάντινον (16,12—17,29), τραχήλῳ (16,17—17,29) cett.

His omnibus manifestum est, alteram ex altera cantilenarum esse factam. Quin vero 16 genuina sit, vix dubium est. Nam venustate et simplicitate valde praestat odae 17, ut ostendi fere queat, auctorem eius nil aliud egisse, quam ut nonnullus odae 16 versus amplificaret et maiore nitore exornaret.

Poematii autem 16 praestantiam Lessingius valde praedicat (Laokoon XX) hoc dicens: *Was der Künstler nur theilweise zusammensetzen kann, konnte ihm der Dichter auch nur theilweise vorschreiben. Seine Absicht ist es nicht, dass wir in dieser mündlichen Direktion des Malers die ganze Schönheit der geliebten Gegenstände erkennen und fühlen sollen; er selbst empfindet die Unfähigkeit des wörtlichen Ausdruckes und nimmt eben daher den Ausdruck der Kunst zu Hülfe, deren Täuschung er so sehr erhebt, dass das ganze Lied mehr ein Lobgedicht auf die Kunst als auf sein Mädchen zu sein scheint. Er sieht nicht das Bild, er sieht sie selbst und glaubt, dass es nun eben den Mund zum reden eröffnen werde:*

Ἀπέχει· βλέπω γὰρ αὐτήν,
Τάχα κηρὲ, καὶ λαλήσεις.

Quare concludendum videtur, artificium, quod poetae oculis obversabatur, perpulchrum ac laude dignissimum fuisse.

Sed non modo cantilena 17, verum etiam 3 huius sylloges oda e 16 derivata est. Qua in oda artifex lyricae Musae Bacchique cantum audire iubetur; depingat autem urbes festivas et amantium modos. Ne mireris velim, hanc sententiam non absolutam esse; nam manifesta corruptionis signa nobis post alterum versum occurrunt multaque eius poëmatii soluta atque disiuncta videntur. Quod vero ad imitationem odae 16 attinet, accurata quadam cura omnes odae 3 versiculi praeter 2—4

ex odario 16 recepti sunt. Atque utrumque carmen, ut similitudines odarum ex ordine adumbrem, ab iisdem vocabulis initium capit (*ἄγε, ζωγράφων ἄριστε*). Praeterea vv. cr. 16 ‚*γράφε μοι τρίχας τὸ πρῶτον*', et ‚*ἁπαλάς τε καὶ μελαίνας*' solenni imitatione in oda 3 versibus ‚*γράφε τὰς πόλεις τὸ πρῶτον*', *ἱλαράς τε καὶ γελώσας* expressi sunt. Tum eundem versum ‚*ὁ δὲ κηρὸς ἂν δύνηται*' utrumque carmen dedit et postremus tenuis quoque cantilenae versus *γράφε καὶ νόμους φιλούντων* simillimus est versui 9 odae 16 ‚*γράφε καὶ μύρου πνεούσας*'. Intellegas etiam velim, carminis 3 versus quinti voces *τὸ πρῶτον* manifestum in modum odae 16 versus sexti commonefacere; etenim quamquam insequentibus idyllii 3 versibus nil omnino alterum invenitur, quod argumento vocibus *το πρῶτον* expresso respondeat aut quidquam ad id addat, tamen auctor eius haec vocabula in carmen suum recepit neque ineptias veritus est, quae ex illa re prodibant. Ad verbum igitur fere plurimos odae 16 versus in cantilena 3 esse positos qui volent considerare, hanc odam stultam imitationem solam non ducent mea sententia. Equidem contra huius odae auctorem prudenti consilio id egisse arbitror, ut p a r o d i a m, ut ita dicam, idyllii 16 efficeret. Ad hanc sententiam cum reliquis causis id me maxime deduxit, quod cantilenae 3' finis factus hoc ipso odarii 16 loco, quo solo parodiam fingere nobis licet. Versibus enim 7 et 8

Ὁ δὲ κηρὸς ἂν δύνηται,
γράφε καὶ μύρου πνεούσας (*τρίχας*)

a poeta pictor aliquid pingere iubetur, quod oculis percipi iccircoque pingi nequit. Quod ut eluderet, auctor odarii 3 petiit ab artifice, ut amantium leges pingeret, quod item fieri non potest.

Si vero hoc concedimus, dico, odam 3 esse parodiam idyllii 16, nihil impedit, quominus bonum fructum ad verum carminis textum conformandum inde percipiamus. Versus enim 3 et 4

Φιλοπαίγμονες δὲ Βάκχαι
Ἑτεροπνόους ἐναύλους,

qui in codice cum solenni corruptelae correcturaeve signo in utraque margine inscripti sunt et tertius quidem sinistra, quartus

dextra (Rose p. 3), nec sententiae nec constructioni, ut ita dicam, sufficiunt. Etenim quid sibi in hac oda vult, quod artifex sonos Bacchi, si hanc sententiam ex iis versibus percipere licet, audire iubetur? Ac plane ne cogitari quidem posset, quonam modo quadrarent illi versus in ceterorum seriem, si statueremus alios quoque versus in codice neglegenter esse omissos. Qua de causa fragmentum alterius carminis esse et incuria huic odae insertos illos versus conicere licet.

Quod idem e parodia elucet. Nam ut auctor eius omnes alios versus ad verbum fere in usum suum mutuatus est, ita etiam aliquid simile versuum 3 et 4 ex oda 16 in 3 eum recepisse parodiae causa verisimillimum est. Cum vero nil simile in carmine 16 inveniatur, inde sequitur, versus 3 et 4 aliunde in odam 3 traiectos esse.

Ex iisdem porro causis versus 2 quoque poematii 3

Λυρικῆς ἄκουε μούσης,

cuius voces nescio quid hoc loco sibi velint quique cuivis legenti offensioni est, ab editore mea sententia e carmine eiciendus est. Nam quam vim habet ille versus? Cur artifex, qui pingat festivas civitates cett., Musae lyricae aures praebere iubetur? Quare non est mirandum, quod idem — dico, illum versum esse omittendum — e ratiocinatione praecedenti concludimus. Nam in primaria huius odae forma nil eius versus nobis occurrit.

Qui versus in deletorum numerum substituendi sint, ignoramus quidem; at simillimos versuum 2—5 carminis 16 fuisse, nostro iure affirmamus.

Tres vero illi versus supra dicti odae cuiusdam Bacchum celebrantis fragmentum haberi possunt, cuius ceterae partes aut alio traiectae aut memoriae non traditae sunt. Etenim voces ut ‚*φιλοπαίγμων*' adamatas fuisse poetis in pangendis carminibus Bacchum canentibus e cantilenae 42 v. 2 (*φιλοπαίγμονος χορείας*) apparet. Cum praeterea permultis Anacreonteorum locis intellegi queat, librarios ea neglegentissime et pessime habuisse, talis corruptio perbene cogitari potest.

Offendit deinde in odae 3 versu 5 vocabulum *τάς* eaque de causa ambiguae fidei est. Etenim certae urbes, ad quas hic articulus referendus sit, neque in praecedentibus neque insequentibus versibus inveniuntur; nam in praecedentibus, quos omissos supra invenimus, nihil eius rei exstitisse testis est ‚*τὸ πρῶτον*‘, quod initium earum rerum significat, quas pictor pingere iubetur. Quare vocem *τάς* corruptam esse apparet, praesertim cum etiam vestigia eius aetatis, qua poetae e sua voluntate articulum aut ponunt aut omittunt in nostro idyllio nusquam inveniantur. Medelam vero eius vocis statim nobis praebet carmen 16, cuius versus 6, respondens huic nostro versui, ‚*μοι*‘ exhibet, non *τάς* (*γράφε μοι τρίχας τὸ πρῶτον*). Qua medela odae 3 versus 5 absolutus fit.

Verus igitur carminis 3 textus, versibus, qui omissi sunt, lineolis significatis e mea opinione hic est:

1. *Ἄγε, ζωγράφων ἄριστε*
— — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
5. *γράφε μοι πόλεις τὸ πρῶτον*
ἱλαράς τε καὶ γελώσας.
Ὁ δὲ κηρὸς ἂν δύνηται
γράφε καὶ νόμους φιλούντων.

Cap. III.

Vicissitudinem quandam oda 8 quoque subiit. Laudat enim sibi hoc odario poeta vitae amabilem hilaritatem et iucunditatem nil aliud curans nisi caput sertis rosis nexis coronare atque barbam capillumque unguentis ungere. Non inhiat vates potestati, non inhiat tyrannidi. Immo potatione ac vini gaudiis contentus crastinum diem mittit, gaudet hodierno; nescit enim, quid sibi ferat ille crastinus dies numque se bibere prohibeat. Quod carmen rectissime Stark (l. l. p. 54) et Bergkius contenderunt spectare ad Archilochi fragmentum 24:

Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει
Οὐδ' εἷλέ πώ μεζῆλος οὐδ' ἀγαίομαι. κτλ.

eaque de causa harum cantilenarum auctores non modo Anacreontem, verum etiam alios melicos poetas esse imitatos manifestum est (cf. Bergk, ed. IV pag. 301).

Exstat vero oda 8 etiam in Anthologia Palatina (XI 47) Anacreontis nomine inscripta. Discrepat autem ab eius lectione codicis odarium ita, ut 5 ultimi versus omissi sint. Inquirenti in genuinam eius odae formam statim magna sententiae varietas in oculos incurret, quae utrique particulae inest. Primis enim versibus vates suam ipsius vivendi rationem explicat, ultimis vero alterum ad colendum Bacchum excitat. Quod vero ad Starkii sententiam attinet, qua arbitratur (54) ultimos versus iam ea de causa non ad primos esse traiciendos, quod altero metro (in primo pede spondeo) utantur, hoc nil valere potest, cum etiam versiculi 1–4 metrum ita variatum habeant. Me contra illa altera ratio pangendorum versuum 10—15 atque 1—10, de qua supra dixi, et quod illi primi versus integram praebent sententiam, ad opinionem deduxit diversae harum partium originis.

Quaeritur nunc, utrum illa altera pars conglutinati odarii ab homine inepto conscripta sit ea mente, ut argumentum primariae formae magis clarum faciat, an duo eiusdem argumenti poemata sive poematum fragmenta continuo se exceperint ac postea coaluerint, id quod haud raro in hac sylloge factum est (cf. odd. 26 et 27, 2 et 3). Ac memor versificatoris, qui carmen 4 sub finem tam inepte amplificavit eiusque, qui odam 17 e 16 mutuatus est, ut singulos primariae formae versus magis explanaret, equidem putare maluerim, versus 11—15 ab poeta quodam esse adiectos, ut carminis argumentum magis dilucide exponeret.

Cap. IV.

Coniunctas igitur duas diversorum auctorum carminis 8 partes invenimus; contrariam rem conspicere licet in cantilena (17) 18. In codice enim duae eiusdem odarii particulae seiunctae sunt eumque sequitur Stephanus. Immo codex utrique parti alterum titulum prabet priorem (vv. 1—10) inscribens ‚ἄλλο τοῦ αὐτοῦ ἐρωτικόν', posteriorem (vv. 10—17) asterisco significans et ab altera separans vocibus ‚ἄλλο εἰς αὐτόν'.

Sed cum multa indicia inveniantur, quae doceant, eas particulas in unum carmen esse consociandas, tamen multi viri eruditi ut Widemannus (p. 25), Stark (p. 50) alii, codicem esse sequendum putaverunt. Quare num apte hae partes coniungi queant, videamus.

A feminis igitur vinum flagitat eius cantilenae poeta, quo vehementissimum aestatis calorem reprimat; pari modo etiam coronas floribus nexas sibi expetit, quibus caput calidum cingat atque refrigeret. Ut vero sese defendat ab Amoris interno calore, nescit. Haec igitur, quibus prior odarii pars continetur, interrogatione terminantur neque ineptit Starkius eius sententiam ita optime stare declarans. Attamen de duabus illis carminis 18 particulis iudicium laturis ante omnia hoc tenendum videtur, quod altera earum per se absolutam sententiam non exhibet, sed commodissime ea, quae quis forte desiderare queat in fine praecedentium versuum, suppeditat: Ad umbram Bathylli enim, quem confert cum arbore obumbranti, poeta confugit insano furens amore; haec dulcis est arbor, quae suavissime comam ramorum moveat caloremque animi refrigeret. Iucundus autem sermonis eius fons hac in umbra fluit neque quisquam id conspiciens praeteribit. Poeta vero sine dubio hac in imagine versatur: Ut arbor obumbrans homini aestu vexato et fons liquidissimus irrigans, quae in circuitu sunt, iucundissimum parant frigus, ita etiam Bathylli figura et amplexus (σκιήν) et dulcis eius verborum fons omnem poetae furorem atque amorem sedant; omnia pacata, omnia

suavia reddunt. Quae cum consideraverimus, cognitum habebimus, alteram particulam nil nisi responsum esse interrogationis, quae in fine prioris particulae est: Remedium amoris, quod flagitat vates illa interrogatione, datur confugienti ad dilectum Bathyllum.

Ita eam rem se habere cui hac ratiocinatione non persuadeatur, ei nil dubitationis relinquatur, si consideret sequentia: Tota illa altera particula ita instituta est, ut prorsus omnibus prioris partis membris respondeat. Hac enim corona et compotatio nominantur, quae solis aestum reprimant, illa folia arboris liquidique fontis aqua, aut ut ex imagine egrediar, Bathylli forma comaque et dulcis eius sermonis fons ab Amoris sagittis defendere dicuntur. Obstant igitur amori aestus solis et, quae remedia utriusque sunt, Bathylli formae atque sermoni aquae fons et serta florea. Quare arctissimam necessitatem coniunctionem harum partium esse arbitror. Nam sic omnia perbere stant; sin Starkii, aliorum sententiam sequamur et carmen 18 in duo membra secemus, alterum etsi non pravum, attamen multo illepidius fit, alterius sententia plane fere inepta evadat. Etenim quam vim habet illa allegoria, quae inest versibus 10—15, nisi explicatio praecedentis interrogationis existimatur?

Recte igitur Mehlhornius duas illas partes in unum carmen contraxit, quem etiam Bergkius et Rose sequuntur. Quin Welckerus ita venustate huius odarii captus erat, ut magis ingeniose quam vere coniceret, Platonem in initio Phaedri ad id respexisse, cum diceret describens platanum gracillimam ad Ilissum vigentem: *ἐκεῖ σκιά τ᾽ ἐστὶ καὶ πνεῦμα μέτριον καὶ πόα καθίζεσθαι, ἢ ἂν βουλώμεθα κατακλιθῆναι.*

Similiter atque oda 18 etiam 58 perperam in duas partes discerpta est, cuius altera pars (vv. 23—36) in fine Anacreonteorum est.

Cap. V.

Eiusdem corruptelae generis indicium in oda 55 (53) conspicitur. Rosa enim, qua poetarum Graecorum maxime serioris aetatis vix alter flos maiorem laudem tulerit, haud illepide ea celebratur. Dicitur flatus deorum (4), hominum gaudium (5), ornamentum Gratiarum et Amorum (6. 7), Veneri flos gratissimus, Musis amatus (8—10). Hominum quisquis in semita eam invenit, maxime delectatur et festivarum comissationum epularumque ea dulcis comes est; poetis vero ita amata, ut Aurorae, Nymphis, Veneri nomina ab eo flore sumpta indiderint. Immo succurrit morbo correptis et moribundis ac ne senescens quidem omni odore ac dulcedine orbatur.

Huius ita descripti floris tum ortus narratur; quae eodem tempore, quo Venus e mari, e capite Iovis Minerva prodibant, effloruit e terra et summa venustate ornata nectareque adspersa est a Baccho.

Non expers sane leporis est hoc poematium a Starkio ‚ineptiarum plenissimum' appellatum (p. 74), nisi quod argumenta culpa librariorum nullo fere ordine observato procedere magni facis. Etenim ante versum 16 asteriscus, novi carminis signum, invenitur in codice, qui repetitur post versum 28. Commovit hoc ipsum Bergkium, antea auctore Mehlhornio (p. 182—187) priorem ut huius carminis partem (p. 328 ed. IV) separaret a posteriore; sed nunc omnes partes in unum odarium consociavit. Neque iniuria mea sententia: Nam primi asterisci auctoritatem alter plane derogat; neque versus eo inclusi per se absolutam sententiam praebent. Nulla praeterea clausula in versu 15 est, et quod gravissimum documentum habendum videtur, in posteriore particula vox ‚τόδε' tribus deinceps versibus usurpata (24—27) manifestum in modum ad prioris partis vocabulum ‚ῥόδον' spectat, id quod in versibus 20—30 nusquam occurrit. Accedit, ut harum partium indoles atque natura plane eadem sit ita, ut altera alterius prorsus indigeat.

Alterum vero asteriscum aeque atque priorem librariorum neglegentiae deberi cum multis aliis causis tum eo manifestum

est, quod versus illo asterisco insignitus (φέρε δὴ φυὴν λέγωμεν) clare ad praecedentes versiculos spectat. Nam si illo initium novi idyllii significatum esset, poeta certe dicere deberet, cuius ortum describere vellet.

Atque Valentinus Rose versus 16—20, qui in codice falso loco stabant, ante versum 24 transposuit. Hoc optimo iure factum est mea sententia: Etenim ii versus perbene ad versum 19 se applicant cum tota sententia tum vocabulis σοφῶν (19 sec. Rose) et ‚ἀσόφῳ (20), quorum alterum ad alterum spectat necessario.

Nec vero in hac medela carminis acquiescere licet mea opinione. Nemo enim ortum rosae in fine carminis narrari bene stare dicet, et cum tota oda cognosci queat, eam a librariis maxime corruptam esse, facile quoque fieri potuit, ut illa tertia pars carminis (28 — adfinem) ex alio loco illuc traiceretur. Si vero eam partem post tertium versum collocamus, perbona fit totius carminis oratio et sententia. Nam tum adhortatio, qua poeta sodalem admonet, ut secum rosam laudibus efferat, perbene continuatur versu

φέρε δὴ φυὴν λέγωμεν,

et ipse ille versus hoc loco melius stat quam medio in carmine. Nam eum ad principium carminis quadrare non negandum est, medio in idyllio certissime ambiguae fidei est. Similes enuntiationes in initio odarum 3. 16. 17 occurrunt, mediis in odis nusquam (nam odae 48 versus 8 vox ‚φέρε' est »*bringe*«).

Cum vero ita primum narratum est, quomodo rosa orta sit, perbene poëta pergere poterat:

τόδε καὶ θεῶν ἄημα κτλ.

(scribo hoc versu ‚τόδε καὶ', non ‚τόδε γάρ', quod multi deinceps versus ab iisdem vocibus exordiuntur, cf. vv. 5. 6. 9. 24—27). Finis autem idyllii accommodissime ita fit versibus:

χαρίεν ῥόδων τὸ γῆρας,
νεότητος ἔσχεν ὀδμήν.

Incipit enim poëta ab ortu rosae carmen, finit senectutem eius describens.

Cap. VI.

Praeterea oda 12 ex oda 9, quibus poëta vino ebriatus furere vult, derivata videtur et eorum maxime poematiorum, quae vinolentiam praedicant, persaepe versus aut integri aut paululum mutati in diversis odis occurrunt ut carminis 45,1. 2; 50,5. 6. Oda 49 misera idyllii 48 imitatio est multasque similitudines, quae insunt in diversarum odarum singulis versibus enarrare possum; sed hoc plane non mirum in Anacreonteis eaque de causa operae non pretium videtur, plura verba facere. Quare cum ad finem huius disputatiunculae alterius partis venerim, vicissitudines, quas Anacreontea sensim subiisse intellexi, ex ordine nunc enumerabo.

1. E genuina carminis forma nova idyllia facta sunt et

a) brevius quidem paroenium haud ineleganter ex erotico factum est;

b) longius carmen ineptissime seriore tempore ex eadem genuina forma compositum est paululum verbis priorum versuum mutatis, ultimis versibus additis; additi insuper ex altero carmine sumpti videntur.

c) Haec oda iam e Gellii odario descripta imitationem quoque experta est.

d) E carmine 16 puellam celebrante laudes Bathylli per odam 17 sparsae sumptae sunt.

e) Parodia ex eadem oda 16 facta est.

2. Nonnulla carmina mutilata et dilacerata sunt, ut spurii eorum versus in hac sylloge vagentur; horum pars

a) perperam alteri carmini inserta est;

b) ad finem alterius odae adposita est.

3. In codice partes unius et eiusdem odarii dissectae leguntur, quasi sint nova idyllia

a) duae partes (carminum 17 et 58);

b) tres partes (c. 53).

4. Multa denique argumenta, versus, voces ex altero in alterum poematium recepta sunt.
